De Vniuersitate Libri tres, quibus vniuersa de natura philosophia continetur, Nicolao Biesio Gandauensi Authore.

Ad Optimum & Inuictißimum Principem, Diuum Philippum, Hispaniarum, Angliæ Franciæque Regem, &c. Burgundiæ, Septentrionalis Galliæ, & inferioris Germaniæ Ducem & Comitem, &c.



ANTVERPIAE,
Apud Martinum Nutium sub Ciconijs.
Anno Salutis M. D. LVI.
Cum priuilegio Regio.

AD OPTIMVM ET INVICTISSIMVM PRINCIPEM, DIVVM PHILIPPVM, HISPANIARVM, ANGLIAE Franciæq; Regem,&c.Burgundiæ,Septentrionalis Galliç,& inferioris Germaniç Ducē & Comitē,&c. Nicolaus Biesius Gandauensis.

SOLENT illi qui aliquid in vsus communes edunt, optime & inuictissime Princeps, insigni alicui viro, cui quàm plurimū deberi sciūt, studium suum & industriam commēdare, quò dum gratum & vtilitatis publicæ cupidum animum demonstrant, & gratiā apud eum, & simul etiam maiorem authoritatem apud literarum amatores consequantur, si nimirum à talibus viris probentur. Cùm autem nemo tantū vnquam alicui debuerit, quantū nos omnes debemus tibi, propter innumerabiles & maximas virtutes & incredibilem erga tuos amorem: cùm etiam apud neminem vnquam tantam, quantam apud te virum sapientissimum, potentissimū, & optimum pro virtute quis gratiam expectare possit, tuumq; nomen merito summam obtineat apud omnes authoritatē, quamuis Maiestas quemuis terrere debeat, clementiæ tamen & mansuetudinis fama, quæ cum reliquis omnibus virtutibus summis in te de principatu contendit, bonis viris tantos dat animos, vt honesti sui desiderij te ipsum spectatorem & iudicem non vereantur, à quo sciant ad omnis virtutis incrementū adiumēta se consecuturos. Nam cum his temporibus, & etiā antiquis, sed his præcipuè, rarissimè proueniat quicquam eximium in rebus humanis, & etiam optimi quique vix vnquam possint ad optatum finem peruenire, quanquam talis sis omnibus ornamentis, quæ in hominē cadere possunt, vt tecum nihil conueniat, nisi quod sit pla

nè diuinum, tamen id etiam cum ſapientia tua ſingulari bene quadrat, quòd ſatis intelligis, quàm vehementer optima quæque ingenia, quæ quidem iam multas ob cauſas minus prompta ſunt, quàm vtilitas Reipub. poſtulabat, ad omnem virtutem & ſapientiam ſint incitanda, quantamq; mereantur laudem, qui in hoc ſtadio cognoſcendi veri diligenter verſantur, illi præcipuè, qui propius ad metam accedunt: imò ſecundi quoque tertijque & etiam vlteriores: nam etiam poſtremi diligentia magna primi quandoque fieri ſolent, quam vel nulla res alia, vel vna gloriæ pręmiorumq; ſpes, ad res maximas conficiendas excitare poteſt. Hæc igitur à bonis, hoc eſt, tui ſimilibus principibus, eſt imprimis proponenda viris ſtudioſis: quoniam eruditione nihil difficilius eſt, nihil præclarius, nihilq; quod ad omnem felicitatẽ magis conducat: quod tametſi tibi ſatis eſt manifeſtum, cuius conſilio ſapientiaq; magna pars orbis terrarũ gubernatur & conſeruatur, tamen virtute tua fretus nunc breuiter demonſtrabo. Non enim dubito quin optimi ſapientiſsimiq; Principes libenter audiant, quæ ad principatum rectè conſtituendum maximi ſunt momenti. Si quis autem res omnes humanas cum doctrina rectè conferre ſciat, facilè inueniet hanc inter cæteras omnes longè tenere principatum: nam vt corpus & externa relinquam, quæ quidem abiectiſsimum in homine proculdubio locum habẽt, mens & ratio, ſummam in animis obtinet dignitatem, qua nos ab animantibus brutis maximè diſtamus. atqui ſi hæc denſis ignorationis tenebris ſit obſeſſa, nullam omnino laudem, quemadmodũ nec cæcus oculus meretur, ſed oportet vt iucundiſsima pulcherrimaq; veritatis luce ſit illuſtris, ſi modò ſpeciem humanã referre, & ſuperiorẽ, hoc eſt noſtrũ, in hac natura

locum

locũ possidere velimus. Nunc auté cõsideremus, quomodo mẽs ab origine multa capta cæcitate pręstantissimum vidẽdi sensum acquirat, & incipiat pulcherrimã intelligẽtię lucé spectare, & intelligemus quantũ studijs literarũ debeamus. Tametsi quinq; sensus externi, nobis prębeãt initia quædã inuestigãdi veri, tamé in illis intelligẽdi laus nõ est, siquidem videmus animantia bruta nobis acumine sentiẽdi longè superiora. Necessariũ est igitur nõ exteriùs, sed intus potius in animis esse vim, quę veritatis scintillas excutiat, quibus in animis nostris omnis humanę cognitionis lux accẽdatur. Hę verò scintillę nõ nisi longo studio, multa & diligenti consideratione rerum prosiliunt, ad quam vidẽtur quidam ab ipsa natura præcipuè conformati, qui si oblatis occasionibus rectè vtantur, intelligentiæ natiua perspicuitate sedulaq; rerum inquisitione, tãdem prudentię laudem meritò consequuntur. Verùm eiusmodi viros nobis raros admodũ nunc exhibet natura, qui possint innata mentis sagacitate cum priscis illis conferri: sed eius loco concessit nobis multam doctrinam maiorum nostrorum, clarissimis literarum monumentis expressam, quo munere si rectè vti sciamus, maxima consequendæ felicitatis præsidia nobis comparemus. Et hîc quidem, vt & alibi semper licet industriam naturæ vehementer admirari, quæ in ætate sua prima, quoniam homines ingenio suo multa discere debebant, ingenia præclarissima fecit, quæ tandem scriptis multam posteritatem vehementissimè iuuarent. Nunc autem nostræ mentis obtusitatem voluit authorũ multa lectione cõpensari, & ita nos etiã eximiam aliquã doctrinæ laudem promereri. Quamuis enim iam in mundi senio, non possimus multis ætatibus prodesse, nostra tamen tot difficultatibus, tot periculis & calami-

 tatibus

tatibus est plena, vt in ea plurimum possit ingenium excellens emolumenti conferre. Quòd si doctrina suum pretium haberet, non est tam effœta natura, quin adhuc ingenia producat & alat, quæ veterum inuentis adiuta, præsentem futuramque felicitatem non mediocriter promouerent: verùm id etiam prouidè factum est, vt ijs tẽporibus, quibus homines ob perditissimos mores nullam felicitatem mererentur, essent paucissimi, qui maximam Reipub. felicitatem afferre possent, & vt passim exhiberentur etiam occasiones paucissimæ, quibus tales homines prouenire solent, quibus ingenia bona multam operam in studijs collocent, seque diligenter exerceant, vt ornamento sint & vsui ciuitati. Doctrina difficilis admodum est & ardua, plurimaque subsidia requirit, ingeniũ perspicax, &, pręter externas commoditates, etiam indefessos labores. Non satis est multa scrutari & inuenire, sed oportet omnem antiquitatem euoluere, oportet hęc ingenia nostrorum temporũ scriptis maiorum iuuari, vt ex multis ingenijs, multa lectione coniunctis, vnum aliquod proueniat excellens. Verùm quoniã multi iudicãt, sola natura sine studio, sapiẽtem quem esse posse, siquidem ita volunt, id quidem illis concedamus, & ob id studiorum dignitati nihil detractum esse videbimus: nam etiam si proueniant hisce temporibus ingenia pręclara, tamẽ eadem maximè quidem intelligent, quàm præclara veterum fuerint ingenia, quàmque vtile sit & necessarium, ea diligenti lectione scrutari. Ita fieri nequit, vt studiosus nõ sit is, qui multũ ingenio valet: fieri nequit vt studiosos non amet & veneretur, & vt eos secum frequenter non habeat, præsertim si ipse necessarijs negocijs alijs à studio literarum distrahatur: quod quidem accidere Principibus vi-

ris est necesse. Boni species sua natura ad se quemque trahit, & tantò trahit efficacius, quãtò magis fuerit perspecta: quapropter nunquam fiet, vt alicuius mens formosissima luce veritatis exornetur, quin sit idem literarum & sapientiæ studiosus: tum quòd studium lucem veritatis accendit: tum quòd ij quibus natura dedit multos veritatis igniculos, ijs rebus delectantur, quibus continuò magis inflammantur. Certè studium multum in perspicuis ingenijs ingentem cognitionis splendorem profert, quo nihil in rebus humanis pulchrius esse potest: nam sapientia reliquas quoque virtutes omnes secum habet coniunctas. Si quis enim conspectam veritatem contemnit, id non aliunde fieri solet, quàm quòd ad alia voluptatis simulachra flectat mentis oculos, quos si intensius ad virtutis speciem conuerteret, nunquam ab ea bene cognita se pateretur diuelli. Si ergo nihil luce veritatis & ingenijs eruditis pulchrius est, nihilque turpius ijs quę literis nõ delectãtur, facilè cognoscere licet, quales sint illæ Resp. quæ multos viros studiosos & doctos alũt: cognoscere licet etiam quales sint principes & magistratus, quibus tales viri talesque Resp. placent, dignissimi scilicet, vt eorum virtus eruditorum scriptis in omne tempus celebretur: quod qui non maximi faciendũ esse putat, nempe laudari à laudatis viris, qui veram gloriam, assiduam virtutis comitem, monumẽtis literarum expressam, pulcherrima doctrinæ luce ante omniũ oculos euidenter expositam, contemnit, is inter homines numerari minimè debet. & vel eo solo licet intelligere quanta sit dignitas doctrinæ: nam viri eruditi dare possunt illud, quod cũ alio nullo fuerit hic vnquam conferendum, gloriam scilicet nunquam intermorituram, pro qua certè compensationem aliquam à grata be-
neq;

neque constituta Repub. commerentur. Sed ex his fermè cognoscere licet, quantum humano generi afferat doctrina ornamenti, & inde quoque manifestum fuerit, quantam ignominiam, quantũ supplicium mereantur illi, quicunque literis sunt infensi, qualesque Resp. sint, in quibus sapientia nullum pretium habet, nimirũ caliginis, tumultuationis, calamitatis plenæ: quod nunc ostenderem apertius, inuictissime Rex, nisi tuas aures, quæ nihil nisi quod plenũ sit dignitatis audire merẽtur, indignitate rerũ offendere vererer. Quanquã igitur vehemẽter interest felicitatis cõmunis, vt omnes, & maximè pręcipui quique, clarissimè cernant, quantùm decorum à turpitudine distat, quoniam tibi viro prudentissimo sunt hæc omnia nota, nos omissis his rebus tristibus, nunc postquam ingenij, varijs disciplinis exornati, pulchritudinem ostendimus, vtilitatem deinceps consideremus. Cùm autem mentis aciem in omnem partem conuerto, video nec publicè nec priuatim sine studio literarum quicquam feliciter confici posse: quod si nunc exemplis ostendere velim, tempus me deficiet ijs enumerandis. Omnes enim historiæ plenę sunt ijs hominibus, qui per sapientiã rem suam vel priuatã vel publicam cõseruarunt, & per inscitiam funditus euerterunt. Quod si ab originę mundi res gestas repetere velimus, id ita factum esse comperiemus. Scio quidem multos vafros & callidos fuisse & leuibus quibusdam artibus deditos, qui omnia vitæ turpitudine perdiderunt, quosdã etiam sapientes, qui tanquam inuicta vi fatorum ab vtilitate communi fuerint distracti: sed loquor iam de vera sapientia, quæ sit cum reliquis virtutibus coniũcta, loquor etiam de negotijs, quibus sapientia superior esse potest. Quædam enim tempestates ingruunt, quę vincunt om

nem

nem vim humanam, & illas vir sapiẽs diuinę prouidentiæ moderationi committit. Sed quæ in hominum potestate negotia sunt, vel nulla vis humana, vel vera sapientia rectè gubernat. Hæc singularum rerum causas intelligit, quibus omnibus cognitis exitus nõ possunt ignorari: nec etiam ignorari potest, quibus rebus ad hunc aut ad illum finem perueniatur: ita facilè & malis remedium, & bonis inuenitur adiumentũ. vnde liquet quantum referat, vt ij qui Reipub. præsunt, sapientum consilijs semper vtantũr, quò à suis principijs ad fines rerum gerendarum rationes intelligant, quid quibus hominibus, locis, & temporibus accidere soleat aut possit, quibus rebus vel promoueatur vel impediatur. Certè oportet vt radices firmæ sint, & fœcundo sapientiæ succo foueantur, si modò velimus aliquem felicitatis fructum expectare: oportet præter experimenta vitæ, rationes & causas rerum omnium inquirere, nec vnquam quiescere, donec ad fastigia sit deuentum, vnde tanquam è specula subiectam veritatem, per varios eius campos cernamus. Mentes diuina luce plenæ rebus omnibus supereminent, è loco superiore cuncta prospiciunt, æthereaq́; virtute, veluti quidã soles, res istas imas facilè moderantur, si quidem illis authoritas in consilijs capiendis detur: ea verò si denegetur, ipsæ saltem suo lumine fruuntur, æternę Reipub. felicissima moderatione, pulcherrimoque cęlestium corporum ordine delectãtur: harum omnium vicissitudines animaduertunt, & ex rebus perditis, quantum in sapientia pręsidium sit agnoscũt. Natura comparatũ est, vt omnia sensim crescant, & ad suũ perueniãt incrementũ, vt ab initijs leuibus magna proueniant, & ab vno ferè plura fiant. Initia verò soli norunt illi, qui proprias causas sciunt inuestigare, quos stu-

 diosos:

diosos & doctos appellamus. Atqui causis bonorum comparanda sunt adiumenta, quibus in effecta multa magnaque propagentur: causis malorum statim obijcienda remedia sunt, priusquam radices confirmarint, & vires acquisierint, priusquam latè disseminentur, & magnum incrementum sumant. Hoc enim tempore multumque iam damnum dederunt, & multum etiam daturę sunt, antequàm poterũt extirpari. Illi verò laudandi sunt, qui multo antè prospiciunt tempestatę, & priusquam ingruunt portum aliquem tutissimum quærunt, qui naturæ motum omnem, & quid hanc aut illam cęli faciem consequi soleat, animaduertunt, non qui periculum non sentiunt, nisi cùm iam vastis vẽtis & vndis iactantur. qui verò per propria signa causas inquirunt, olim philosophi sunt appellati, quorum cõsilio prudentissima Vetustas plurimùm tribuebat. Hi cum experimẽtis quotidianis, quibus solis nunc multi temere fidunt, causas rerum diligentissimè coniungebant. Quid enim multa videre prodest, & multas historias legere, si cur quodque fiat non inquiramus. Quid interest nostra quòd Alexander Darium, Pompeiũ Cęsar superarit, si causas ipsas ignoremus, sine quibus nõ poterimus tẽpora præterita nostris accõmodare. Sed si cognouerimus quibus auxilijs fuerint vtrique freti, cùm simile quippiam nostris temporibus acciderit, ex similibus causis effecta similia facile poterimus pręsagire, & omnem rerum gerendarum rationem ad veram vtilitatem instituere. Hoc qui non faciunt, frustra tempus omne legendis historijs terunt, frustra varijs experimentis sumendis ætatem omnem frangunt. Ergo seduli causarum inuestigatores rebus intelligendis & bene gerẽdis maximè sunt accommodati, quorum authoritas

ritas in omni negocio plurimùm valere poteſt. Itaque legimus eas Reſpub. ſemper fuiſſe feliciſſimas, quæ viros eruditos quàm plurimos haberent. Hi nãq; cùm omnis virtutis pulcherrimã ſpeciem in apertiſſima luce continuò cernant, non poſſunt eam non omnibus deſiderijs amplexari, non poſſunt omnibus non proponere conſpiciendam: at ea conſpecta, natura ſtatim accẽdit omnes, & pręcipuè quidẽ optimè natos, incredibili quodam amore, quo maxima ex parte felicitas cõmunis continetur. Deinde, pręter exempla virtutum, motus omnes in quamuis partem animaduertunt, & eos optimè moderari ſciunt ad publicam vtilitatem. Sed iam nimis multa dixiſſe videor de rebus manifeſtis, apud te prudẽtiſſimũ virũ, qui ſine mea vel cuiuſquã oratione per te ſatis intelligis hęc, in quibus eſt imperij dignitas & ſalus pręcipuè ſita. Hortarer etiam iam vt ſtudia literarum & ſtudioſos ſummo fauore proſequereris: ſed tam euidentem demonſtras in ſtudioſos omnes amorem, vt monitore nullo ſit opus. Itaque meritò, vt in omnibus alijs, ita hac etiã in re ſummopere laudaris ab omnibus, quòd videant ſub imperio tuo literas ſuam dignitatem obtenturas: vnde multo maiorem quàm ex vllis alijs rebus gloriam conſequi potes. Sed hæc omnia, quę ſedulò facis, eò facere debes diligẽtius, quòd, vt diximus, hîc difficilimè prouenire videamus quippiã excellens: & ideo magna ſpes, magna præmia proponenda ſunt illis, qui in ſtudijs literarum cum aliqua laude verſantur, quoniam honos & vtilitas omnes artes alit, & ad ſuum incrementum euehit. Quòd ſi verò negligantur viri ſtudioſi & contemnãtur, quantus quiſq; fuerit, qui cum iactura rerum ſuarum, continuis ſtudiorum laboribus animum pariter & corpus frangat: niſi fortaſſis is, cui natu-

ra fortunaq́ue plurimum fauet, qui ita formatus eſt, ita in lucem editus, ita educatus, vt proprijs ingenij ſtimulis ad inquiſitionem veri planè cōcitetur, qui tantis præſidijs externis abundet, vt aliorum opem minimè requirat: quem quidem in hac vita rariſsimè prouenire, ſed longè feliciſsimum eſſe puto. Quid enim poteſt eſſe præſtantius quàm ingenium præclarum & excellens, quod nullis rebus impediatur, quò minus in illa pulcherrima ſibiq́ue admodum cognata veritatis luce continuò verſetur, qua iucundiſsima ſpectacula rerum æternarum cernat, qua maximos illos ſplendidiſsimorum corporum circuitus comprehendat, qua deſpiciat has imas anguſtias, perturbationis, luctus, periculi, miſeriarum omnium plenas, denſiſsimis ignorationis tenebris oppreſſas. Quid illo felicius eſſe poteſt? ſed fermè fit cum magno humanæ Reipub. malo, vt ij quos natura induſtriaq́ue euehere cupit, ab aduerſa fortuna nimium deprimātur: nam hanc vehementer aſpirantem nunquam optant, à qua poſsint vel in faſtum inanem diſtendi, vel fœdis voluptatibus implicari, vel à virtutibus ad alia vitia diſtrahi. Sed quòd illi qui nati ſunt ad promouenda ſtudia veritatis, hoc eſt, ad bene conſtituendas & conſeruandas Reſpub. deſtituantur ijs adiumentis, quæ non ob aliud deſiderant, niſi vt publicam dignitatem proue-hant, virtutem omnem & ſapientiam plurimorum animis infundant, ſummum dedecus eſt generis humani: ſummum dedecus eſt, & quidem cum ſummis calamitatibus coniūctum, cui tu, Princeps optime, præcipuū, vel nullus alius remedium inuenire poteſt. quapropter oportet, vt quemadmodum hactenus feciſti, cum ſumma dignitate tua, cum reliquis omnibus virtutibus tuis ſummis, eruditionis & ſapientiæ ſummum amorē oſten

dere

dere pergas, & ames omnes literarum amatores. Sic enim alios, qui in aliqua dignitate constituti sunt ad imitationem tui prouocabis, plurimos viros sapientes habebis, & imperium tuum maximum facilimè felicissimeque propagabis. Quanquam autem ego videar non debere Principem meum potentissimum & optimum ad res bene gerendas incitare, tamen cùm omnia diligentius considero, nullã ex eo mereor reprehensionẽ. Studiosorum enim officium est, veritatem non tãtùm inquirere, sed etiã omnibus demonstrare. Bonorũ etiam virorũ & tui similium Principum officium est, eam tametsi nõ ignorent, ab omnibus libenter audire. Itaque si quid aliquando vel ingenio vel industria consequar, id omne nõ verebor in serenissimum cõspectum tuum proferre. Nunc in vsum studiosorum exhibeo quædam, quæ principia rerum naturalium breuiter continent, hoc est, omnium fundamenta, quæ nisi bene constituta sint, reliqua constare nullo modo possunt: hæc te animo beneuolo, quemadmodũ talia soles, excepturũ esse confido.

AD OPTIMVM ET INVICTISSIMVM PRINCIPEM, DIVVM PHILIPPVM, HISPANIARVM, Anglię, Francięq; Regem, &c. Burgundiæ, Septentrionalis Galliæ, & inferioris Germaniæ Ducem & Comitem, &c. Nicolai Biesij Gandauensis, De Vniuersitate.

LIBER PRIMVS.

SI mihi Mæonij fuerit facundia vatis
Concessa, & docti nunquã morientia lauri
Germina, quæ Aschræo dedit inclyta musa poëtæ,
Diuino æternas describam carmine laudes
Princeps summe tuas: sola hæc infixa manebit
Cura, tibi vt meriti semper referantur honores,
Agnoscantque omnes quàm nos te rege beati
Simus, & Imperij sumant exempla regendi.
Talem nempe decet tali succedere patri
Natum, in quo summæ cùm par sit iuncta potestas
Virtuti, mundum quoque sustentare ruentem
Poßit, dum populum inuicta pietate gubernat.
Certè cùm dederint tibi talem Numina mentem,
Ingentes illis pro tanto munere grates
Sunt dandæ, varias qui te regnare per oras

Ius-

Iusserunt, & sic felices reddere gentes
Innumeras: vtinam reliquo quoq; gratia mundo
Fiat, teq; velint latum Dominum esse per orbem,
Qua Ganges longos sese diffundit in ortus,
Atq; etiam rigidas tellus se extendit ad Vrsas,
Quaq; bibunt calidum gentes ab origine Nilum.
Sed tua fata vocant te planè ad summa tuamq;
Progeniem: doctis dabit ingens gloria plenam
Materiam, totum quæ sit mansura per æuum.
Et mihi si ventos dederit quoque musa secundos,
Omnia nostra tua implebuntur carbasa fama,
At nunc quæ veri sese monstrantia porta
Vidi totius naturæ arcana reponam:
In qua cùm primas dederint tibi numina partes,
Suscipias solito scripta hæc rex inclyte vultu.
Fert animus latis studiorum excurrere campis,
Ac planè abstrusas rerum disquirere causas,
Insolitisq; vijs mundi peragrare recessus
Omnes, Tartarei qua sunt ista ima profundi,
Atque etiam excelsi spaciosa cacumina cæli,
Et caput extra ipsum nonnũquam educere Olympũ.
Ingenij quoque Phœbe dator, tuq; alma Minerua,
Castalidesq; omnes, vobis sunt talia curæ,
Si sum vos summo semper veneratus amore,
Si nihil omisi vestro quod numine dignum
Censerem, optatum mihi nunc præbete fauorem.

Iam

Iā procul Hesperias formosus Apollo per vndas
Vertice gestabat fœcundi insignia veris,
Et Venus hunc paulò præcesserat alma diurnæ
Lucis nuncia, quam comitabat sedulus Hermes:
Sublimes Libyæ lustrabat Cynthia montes,
Ac reliqua extremos errantia numina Seres,
Cunctaq́; carpebant tacitos animantia somnos,
Cùm peteret seram curis mens fessa quietem,
Præruptas subito feriens vbi Turia cursu
Rupes, in pulchros properat se effundere campos,
Confestimq́; tuam spectare Valentia lucem.
At quia clara solent comitari somnia motus
Insignes, varios secum voluentia casus,
Sum diuersa mihi visus spectacula rerum
Magnarum & primas cunctorum cernere causas,
A quibus ista suos assumunt omnia vultus.
Sedula pallentis fati omnia pensa trahebat
Atropos, & nullo redeuntes tempore fusos.
Clotho multiplici inflectebat stamine fila,
Atq; breui totas dimensa est limite vitas.
At Lachesis crasso species subtegmine finxit
Has imas, proprijs distinguens quæq; figuris.
Iupiter omnipotens constringit cuncta catenis
Inuictis, atræ ducunt queis cuncta Sorores:
Fortunamq́; ipsam, quanquam est disiecta latebris
Ignotis, certis ducit sapientia vinclis.

Hæc tu qüicquid agas vel vi vel ſponte ſequeris.
Præſtat ſponte ſequi, quà ſtrata eſt ſemita recti,
Quaq́ Deus nos ipſe vocat, quàm pergere contrà
In varios vitij flexus, quà cæca voluptas
Allicit, innumeris ſemper ſtipata periclis.
Sed quacunq́ via ferimur ſapientia cernit
Cuncta hæc in vſus communes tendere, iuſta
Cauſarum ſerie: quanquam nos dira malorum
Vis premat, ipſa ſuos fructus producit, & iſtis
Immenſis vitijs multo maiora meremur.
Nempe omnis terras pietas virtusq́ reliquit:
Atq́ hinc eſt quòd ſint hîc omnia plena doloris,
Hinc tantæ lacrymæ, gemitus, ſuſpiria, planctus.
Certè ego cùm fati vidi decreta ſeueri,
Sentiui ingenti conſtringi viſcera luctu,
Atq́ inde in largos luctum hunc prorumpere fletus,
Sed tandem, vt varias mutant inſomnia formas,
Cerno virum, vultu quo fingere ſæpe Platonem
Sum ſolitus, qui multa tamen magis ardua dixit,
Humano liceat quàm cuiquam attingere ſenſu:
Rurſusq́ eſt veteres imitatus ſæpe Poëtas,
Dulcia permiſcens rebus figmenta ſeueris.
Hic igitur viſus ſermone eſt multa locutus,
Tam placido, vt diuo mihi veſci melle viderer,
Quo ſub veraci ſatiant ſe rupe Sorores
Fatidicæ, doctas mulcent dum nectare mentes,

Ac referunt nunquam fallentia iussa Deorum. b
In primis almæ magno inflammabat amore
Virtutis, monstrans cælum pietate parari:
Hortatusq́ graueis animo deponere luctus,
Ac mente inuicta quemuis perferre laborem.
Nempe malis inquit, succenditur inclyta virtus
Obiectis, subitò hanc fœda rubigine torpor
Obducit: segni marcescunt cuncta quiete. c
Hinc quòd sint vario motu iactata, quòd aër

a Tempus cùm rapidissimo primi cæli motu continuò reuoluitur nec quod præterijt præsens fieri potest. Quãuis autem tres Parcas tribus temporibus conferunt, alij, teste Chalcidio, potius tribus mundi præcipuis partibus conuenire volunt, aplani, planetis & elementis, quarum media Clotho motu planetarum varias rerum formas contexat in hanc inferiorem elementorum regionem, quæ cùm fortunæ magis quàm sapiẽtiæ capax esse videatur, rectè Lachesis illi præesse dicitur. Sed Atropos superior alios omnes orbes circumducit, extra quos tamen humana voluntas proprio suo motu fertur: omnes autem hos motus sapientia Dei planè comprehendit. Cùm autem omnia iusto quodam causarum ordine fiãt, nullus fortunæ nisi in ignorationis nostræ tenebris locus est relictus: quæ tamen prouidentiam Dei subterfugere non possunt.

b Ho. in Hym. Mer. scribit Parcas, cùm fati decreta pronunciaturæ sunt, melle sub Parnaso vesci: quanquam enim euentus rerum hic nobis sæpius amari sunt, causæ plenæ sunt dulcissimis placitis prouidentiæ Dei, quæ tantum norunt illi, qui vt reliquis sapientiores sunt, ita cum Dijs ipsis versantur.

c Summum bonũ, vt inquiunt Philosophi, suapte natura se libenter omnibus cõmune reddit. Cumq; semper effecta causæ suæ similitudinẽ gerãt, hinc est quòd omnia vires suas in proxima quæq; continẽter effundãt, & ea boni imitatione meliora fiant. anima corporaturæ præstantior est, & in eam suum quoddam imperium habet: in animæ verò natura summa quædam & libera potestas est, qua virtutes & vitia continentur, quæ diuino fauore freta, nullis malis frangi potest.

Ventis diuersis agitetur, pontus inundet,
Cunctaq́; cum summo semper mutentur Olympo,
Atq; adeò rerum quòd sit non vna potestas.
Quæq; suas voluit natura in proxima vires
Exercere, pias sed vbiq; excellere mentes.
His rerum imperium concessum est numine diuûm.
Præstantes animi, quamuis fortuna lacessat,
Et sæpe ingenti aduersorum mole grauentur,
Prosterni nequeunt vnquam. edurata sagittas
Omnes contemnit virtus, discrimina, mortes.
Vndiq; materiam pia mens acquirit honesti,
Maioremq́; ferunt maiora pericula laudem. a
Pulchrum difficile est, magnoq́; labore parandum.
At nihil doctrina præstantius, ista recludit
Æthereos denso positos sub tegmine sensus, b
Hæc vel sola potest famam proferre per orbem.
Nempe legũt Troiam à nostro procul orbe remoti,
Cæcropios, Tyrios, Persas, Lacedæmona, Romam.
Hæc etiam laudem præclarè extendit in æuum
Totum: sic nullis seclis morietur Vlysses,
Cæsar, magnorum aut vlla inclyta facta virorum. c
Atq; hæc vna potest homines secernere brutis, d
Dum mentes proprijs formis exornat, & omnem
Insculpit rerum seriem: tunc luce corusca
Cuncta vident, vultumq́; gerunt mundiq́; Deiq́;:
Quo non concessum est homini præstantius vllum

Donum

Donum: nam multis ea quæ præclara videntur
Munera, diuitiæ, pompæ, violentia, forma,
Quàm subitò pereunt, quàm multis causa malorum.
Pulchra Helene, Crœsus diues, robustus Achilles,
Stultitiæ at celebrem sunt omnes reddere pœnam
Compulsi. docti damnorum semina cernunt,
Et facilè ad gratum perducunt omnia finem.
Res populi pariter priuataq; cuncta gubernant
Vt decet, & nocuas auertunt vndiq; causas.
Quòd si doctrina careant, hæc cuncta labascent,
Horrendoq; cadent subito concussa tumultu.
Cùm ratis in medio est pelago iactata procellis,
Et glomerant venti nubes, tonat arduus æther,
Fulmina sæua ruunt, noxq; ingruit horrida, doctus
Ni tunc quis fuerit cæli, venti atq; profundi,
Effugere haud liceat diri discrimina ponti.

a Natura comparatum est vt à nocuis omnia sese contrahant, & coniuncta potentiora sint dispersis, & vt à potentioribus tandem imbecilliora vincantur.

b Sine causis exitus rerum intelligere non licet: doctrina verò causas rerum demonstrat.

c In rebus humanis fama nihil est magis expetendum, quam potissimum præstat doctrina.

d Mens ea quam Philosophi nunc possibilem, nunc passibilem appellant, veluti quoddam vniuersitatis speculum est, in quod formæ rerum omnium & lumine mentis agẽtis ex æternitate transferantur, & etiam externæ per sensus in phantasiam, quibus in vnam cognitionem coniunctis, à reliquis animantibus homo differt: vnde cognoscere licet reliqua corporis & externa bona cum rerũ cognitione non posse conferri.

Sic ista in celerem violentus turbo ruinam
Sternat, ni vastos regeret sapientia motus. [a]
Vir sapiens alter Deus est mundoq́; sibiq́;.
Ergo homines fastus nimius distendat inanes,
Atq; alij segni mensæ capiantur amore:
Vrat tabificæ Veneris furiosa voluptas
Illos, corporeo quibus est mens putrida cœno:
Impia bella fero crudelia corda tumultu
Succendant: prauas perdant contagia mentes
Plurima: tu semper rectà ad diuina feraris.
Is verè est felix qui docta mente susurros
Audit Castalios, duplici sub vertice montis, [b]
Qui satiat dulci sitientia pectora succo,
Pieridumq́; videt diuas Charitumq́; choræas:
Despicit is auidi Plutonis dona, nec vllo
Inuidiæ marcent illi præcordia tabo,
Non rumpit tumidi stultissima gloria mundi:
Non illi segni putrescunt viscera luxu.
Cùm quatit indomitus feruentia pectora motus,
Non possunt vllæ mentem turbare procellæ.
Is qui continuò versatur æthere summo,
Non curat lucem densa caligine tectam [c]
Luctiferosq́; dies: nam fulgida sidera cæli
Si spectes, vastis hîc sunt obsessa tenebris
Omnia. si mundi hæc ingentia corpora cernas,
Sunt equidem exiguo conclusa ista infima puncto.

Et

Et ſi perpetuæ felicia tempora vitæ
Spectes, quàm breuis eſt iſtæc duratio, totum
Hæc quoq; quæ plenis vicibus cõplectitur orbem. [d]
At non mens cæli ſpacijs generoſa tenetur,
Sed diuinarum ſuccenſa cupidine rerum,
Altiùs aſſurgit, tempusq; locumq; relinquit,
Immenſoq; bono fruitur. [e] *tunc libera curis*
Omnibus, atq; ſui compos, ludibria primæ
Multùm admiratur vitæ, vanosq; labores.
Cur ſis ſolicitus limes quî creſcat agelli,
Aut etiam robur non perdurabile regni
Ventoſi. exiguum eſt vigili quod luce Bootes
Vltra ipſum Tanaim cernit: quà dura niuoſos

a Viro ſapienti, qui diuina veritate plenus eſt, diuinitatis nomen tribui poteſt. Nam cùm prima vis animorum noſtrorum in rationem rerum gerendarum tendat, ea quicquid optimum factu ſit cernit, peſsimum ſequi non ſolet, nam tales fermè ſunt actiones, quales ſunt cogitationes, cogitationes autem ſapientum ad diuina maximè tendunt: & ad ea vitam ſuam omnem componunt.

b Duo ſunt animæ tãquam faſtigia boni volũtas & intellectus: verè in illo virtutes, in hoc ſcientiæ collocantur, quib. omnibus ſuperior eſt libera poteſtas. Muſæ ſunt mentes mundum gubernantes, ex decretis prouidentiæ Dei.

c Superiora puriora continuò ſunt magisque diuina. & inter diuinã lucem & hanc noſtram denſæ tenebræ ſunt, vt ait Dionyſ. Areop.

d Tempus nulla pars eſt æternitatis, quamuis longiſsimum ſit: quoniam indiuiſa pars vlla eſſe nequit.

e Anima mente contingit æternitatem, ſenſibus corporaturam: & ab his initia quidem noſtræ cognitionis ſunt, nullius tamen momenti, niſi peruentum ſit ad principia veritatis. vnde cognoſcere licet, quàm miſerè ſe decipiant, qui leuibus quibuſdam & dubijs experimentis freti, philoſophiam, ſolidæ cognitionis parentem, contemnunt.

Latè gens peragrat mundi in ſublimia campos,
Clarus in oppoſita cernit quod parte Canobus,
Quod toto à Seris ad Iberos tramite luſtrat
Excelſus promptè qui perſpicit omnia Titan.
Totum hoc exiguum eſt, quicquid concluſerit vna
Sola dies, totum hæc breuibus circumſpicit horis. [a]
Felix qui docta ſuperauerit omnia mente,
Et vita potitur non deficiente Deorum: [b]
Quem non inſano tellus concuſſa tumultu
Vnquam perturbet: ſine ſollicitudine cernit
Quid faciat Babylon, Mēphis, quid Græcia, Roma.
Iurgia dum ſpectat, rabiem, fera bella, ruinas,
Ipſe tenet placidam fretus virtute quietem.
Interea vana trepidat formidine pectus
Multis, inſano liueſcunt lumina fletu.
Rurſus ſunt alij qui largis cuncta cachinnis,
Et ſtolido excipiant quæcunq; negocia riſu:
Aſt alij auratos vacuo phantaſmate captant
Montes & ſolo ſuffultas aëre moles.
Atq; alijs alio quatiuntur pectora fluctu.
O quàm difficile eſt humanam reddere formam,
Vt facienda ſcias, meritis vt quæq; rependas,
Infracto vt totam peragas moderamine vitam. [c]
Certè opus eſt ſuperis: magno ergo numine fretus,
Virtutis nec non veri tenearis amore,
Inſanasq; iſtas animo promptè excute curas.

Dixe-

Dixerat. & subitam percepi mente quietem:
Sic etenim horribileis sequitur quandoq; procellas
Insperata quies, fractiq; silentia venti.
Atq; ego iam magna stimulante cupidine veri,
Obnixè vt vellet mihi dicere plura rogabam.
Visusq; est iterum tali sermone locutus.
Cùm tanto studio flagres, ait, ista reconde
Altè verba animo mea. iam tibi plurima dicam,
Quæ cognosse iuuet, cunctarum semina rerum,
Et proprias referam causas, queis cuncta necesse est
Magnā hanc fœcundo ex vtero producere matrē, d
Vosque incorrupti veri cognoscere vultum.
Sed quicquid facias dicásue, exordia summo
Danda Deo, totos illi debemus honores.
Tu precor his nostris faueas pater optime cœptis,
Tu qui cuncta potes, facis; & qui cuncta gubernas,

a Circuitus primi mobilis, qui viginti & quatuor horis conficitur, complectitur totum spacium vniuersitatis.

b In contemplatione rerum diuinarum, etiam secundū philosophos, est vita beata, qua reliquorum omnium cognitio continetur: beata verò vita procul malos omnes affectus excludit.

c Prudentia, iustitia, fortitudo & temperantia, reddunt hominem probum. Sed vmbræ non possunt esse sine luce, nec humanæ virtutes sine diuinis.

d Secundum Platonicos, summum bonum in mētem ideas perpetuas, in animum rationes rerum per se mobiles, in naturam & materiam semina quædam & formas effundit, & ideo matris hæc sæpe nomen habet.

Tu quem nemo poteſt vllis deſcribere verbis. [a]
Immenſum fruſtrà ſpacijs quis claudere tentet
Vllis. nempe omni prior eſt æuóque, locóque,
Naturæque, animóque: ſibi benè conſcius, alma
Sufficit ipſe ſibi virtute, [b] *eiuſque requirunt*
Omnia vim, ſine qua nihili ſoluentur in vmbras. [c]
Is geminas quondam præclaras condidit vrbes: [d]
Quarum quæ melior puris data mentibus, omni
Tempore queis volupe eſt lucem ſpectare ſerenam,
Quam nullus turbet ventus, non nubilus aër:
Nullus ibi morbus, planè exulat vndiq; mœror.
Semper ibi recreat ciues perfecta voluptas.
Vrbs alia aſsiduo motu iactata, prioris
Concipit effigiem fluxam, quam tempus ab æuo
Continuis rerum vicibus deducit: [e] *at iſta*
Nempe hîc anguſta tabula impuróque colore
Depicta, æternam nequit vnquam reddere formam.
Vos mundi hoc imo concluſi carcere, denſis
E tenebris vultus multa caligine tectos
Cernitis. [f] *hos cæli radijs inſculpit in iſtam*
Materiam, & factis nunquam contenta, refingit
Natura [g] *in variam ſpeciem: ſi nunc placet illa,*
Altera mox: pingit, ruſusque expungit. in omnem
Effigiem aſsiduo motu ſeſe omnia vertunt:
Temporibusque ſuis varijs diſtracta locisque
Perfecta nequeunt vnquam ſe oſtendere forma. [h]

Nun-

Nunquam se facie vobis demonstrat aperta
Et pura interior veri haud fallentis imago.[i]
Ast ea quæ nullis spacijs sunt clausa, perenni
Ac indiuiduo comprendunt cuncta vigore,
Et nudo vultu rerum spectacula cernunt.

a Cùm Deus in partes non diuidatur, & omnibus rebus maior sit, ideo est incomprehẽsus. Magnitudinem hîc intelligimus, non dimensionis, sed potestatis & naturæ.

b Si quid exterius desideraret, nec perfectus esset nec æternus.

c Effectum non potest esse sine sua causa.

d Plato duos mũdos tanquam duas resp. statuit, alterũ incorporeum exemplarem in æternitate, alterum corporeum simulachrum in tempore. tempus autẽ indiuiduæ æternitatis diuidua quędam est imago: vt est apud Chalcidium.

e Hęc inferior corporatura motu posituque cælestium corporum gubernatur: cùm autem hic motus per magnitudinem fiat, nec idem in diuersis locis esse possit, oportet vt partes magnitudinis ordine percurrantur. Reliqua verò corpora cuncta pręcũrrit longè primum cælum, & tamen interim moram aliquam trahit, siquidem partes eius vno momento circuitus suos non absoluunt. Sic enim non mouerentur, sed instar æternitatis omnia simul haberent. Mora vero diuiditur in minima quæ nos momenta vocamus, & eorum ordinem in animis nostris appellamus tempus. Corporibus autẽ cælestibus mentes pręfectę sunt, quę citra diuisionem cuncta cóplectuntur, & in eo vis æternitatis est sita. Sed indiuisa priora sunt atque maiora. diuidua propter materiam & circumscriptionem deficiunt & angusta sunt, nouisque vetera continuò cedunt. Durationis dimensio est tempus.

f In æternitate pura lux est, sine qua veritas bene videri nequit, vt inquit Aristoteles.

g Naturam Physici motus insitum principiũ appellant. Primus motus corporum cęlestium est cuius differẽtia varias mutationes, & certis mutationum terminis destinatas formas profert.

h Perfectæ formæ sunt diuinæ, quæ materiam hanc non habent, nec obnoxię sunt temporis & magnitudinis diuisioni.

i Interior imago est in mente, exterior in sensu.

Vna tamen tantum est numeris perfecta potestas
Omnibus, vnde suas habeant reliqua omnia vires
Omnes: quæ nullum potuit cœpisse per æuum.
Non factura sui fuerit factiue, sed omni
Principio prior est cunctorum factor, & vnus
Cuncta videt, falsas quoque vero lumine mentes.
Cumque sibi fuerit semper bene cognitus, intus
Immensum immenso progignit lumine lumen,
Atque ambo immenso semper iunguntur amore,
Et simul omnia sunt nullisque coërcita metis.
Non ibi natura quicquã est spacióue diremptum. [a]
Sic diuersa loco pariter versatur eodem
Hæc lux, quæ crassa est æternæ lucis imago. [b]
Sed quid aperta probem dubijs: vestigia vestri
Veri iam multo sunt falsò oppressa. remotis
In rebus fidei ratio concedat honorem.
Post rerum summum dominum loca proxima diuæ,
Atque inde humanæ mentes tenuere secunda:
Si tamen immenso quicquam conferre liceret.
Ast anima aßiduo complectitur omnia motu, [c]
Hæc quæ dimensas vires per tempora ducunt.
Nam si quando viris soleant se ostendere sanctis
Diuina, attonitos perstringunt fulgure sensus,
Qui cùm ad se redeunt, illa elabuntur. apertam
Non licet his densis tenebris comprendere lucem.
Hîc tanquam in speculis diuina videtis opacis,

Quæ

Quæ sunt corporeo semper suffusa colore.
Perpetuò est veri facies hîc obsita crasso
Fuco. at si vastæ Phœbea luce tenebræ
Sint pulsæ, vt poßint oculi spectare coruscam
Lucem, tunc cernunt nullo pereuntia fluxu
Temporis, & nullum quicquam mutata per æuum.

a Nihil sine causa fit: sic ne progrediamur in infinitum, oportet vt omnium sit aliqua causa prima, quæ nec à se, nec ab alio potuerit esse facta. Rursus cùm omnia moueantur versus aliquod bonum, necessarium est, vt inquit Arist. esse aliquod summum, idque immobile, ad quod omnia moueantur. Quod autem illud summum vnum sit vel hinc intelligere licet, quòd plura semper aliqua re diuersa sint inter se, propriumque quippiam habeant singula, quibus alijs sit carendum, vnde fiat, vt nõ possint esse perfecta: deinde etiam oportet vt differentias suas habeãt ab alio priori. Quòd autem intelligat cuncta quod est summum, manifestum est, quoniam eius voluntate cuncta fiunt: nam quod ait Chalcidius, vt sunt omnia intelligi à Deo, quędã autẽ esse dubia, cùm in vtramuis partem habeant potestatẽ, facilè cõfutari potest. Deus enim opus suum vnquam ignorare nequit. Dei opus est omnis etiam libera potestas, & hæc ab illo vim suam omnem habet. Sed cum immensa energia sese semper intelligat, nec illi quicquam impedimento sit, cùm ab ea sint omnia, cumque se nunquam excedat, nimirum immensa, oportet vt intus sui absolutam imaginem exprimat, non vlla naturæ varietate, sed tantùm generationis proprietate diuersam. Cogitari verò nõ potest duo simillima, patrẽ scilicet atq; filium, penitusque idem natura, nullo mutuo commercio frui: sed oportet vt alter alterum summo prosequatur amore, qui, cùm accidens sibi nullum sit, totam illam purissimã naturam impleat, & sit idem Deus, eo tantum à patre filioque diuersus, quod ab vtroque in alterum procedat.

b Clarissimi philosophi corpoream lucem incorporeæ quãdam vmbram esse dicunt: quòd si vero diuersa lux simul est in eodem subiecto, quid obstat quò minus tres hypostases incorporeę sint eiusdem essentiæ diuinæ.

c Platonici animam per se continuò mobilem, sed Aristotelici potiùs immotam esse dicunt.

Nullus ibi est motus, non est mensura, nec vnum
Posteriúsue priúsue alio, sed cuncta fruuntur
Perpetua requie. si corpora cuncta quiescant,
Atque oculi semper paritérq; hæc omnia cernant,
Id quædam fuerit vitæ felicis imago.
At nunc aßiduò vertuntur singula, cælum
Perpetuò celeres se circumuoluit in horas,
Atque trahit vario cuncta inferiora rotatu:
Et quoniam nequeunt rapidi vestigia motus
Insequi, in innumeras abeant hæc infima turbas,
Continuò dubias incerto limite ducant
Cuncta moras, notæ nisi sint vertigine lucis
Dimensa: hæc mundi primo numeratur ab ortu,
Atque in postremum se prima ab origine finem
Extendit, monstrans senium rerumq; suiq;.
Nam cùm sit vario similis natura theatro,
Vna non potuit se angusta ostendere scena,
Sed multos opus est vt distinguatur in actus,
Vt primùm Aßyrij regnent, partesq́ue secundas
Ægyptus teneat, se vt tandem Græcia iactet,
Inclyta postremos vt ducat Roma triumphos,
Vt sint temporibus cuncta hæc dimensa locisq́ue.
At quicunque omnes didicerunt ordine partes,
Illi qui tersis animis versantur in æuo
Puro, perpetuo cernunt hæc omnia sensu,
Hæc quæ in continuum recto se tramite vertunt

Lethum, quæ stabilem non possunt ducere vitam
Omnigenum fluuio quod si quis forte sigillum
Inserat, aßiduo cuduntur verbere fluxæ
Formæ: sic æui rapido sunt omnia tantum
Contactu, & pariter cum tempore perpete lapsu
Prætereunt: ita dum speculum quis vertit, in ipso
Vndique spectra videt, subito pereuntia motu.
Et stulti has vmbras multùm admirantur inanes.
At docti excelsa versantur in æthere mente,
Illinc conspiciunt cunctarum semina rerum,
Et seriem nunquam firma ratione carentem,
Vnde sciant terris simul & dominarier astris.
Nam vestra hæc rabido quanq̃ submersa profundo
Aßiduo indomiti raptantur turbine venti,
Quanquam materiæ iactantur gurgite vasto,
Ex æuo pariter cernuntur mente serena,
Quæ non sit vlla syluæ caligine tecta,
Sed videat puras sine mole & tempore vires.

Quod huic corporaturæ quædam superiora nobilioraq; sint, facilè quidem intelliget is, qui rerum naturam considerarit. Nam cùm hæc omnia quibusdam è contrarijs componi, inque mensuram continuò diuiduam extendi viderit, non poterit ignorare quin his alius incorporeus gubernator præsit. Quid enim diuersissimas rerum partes in vnum tam arctè coniungeret, quid hanc materiam vndiq; suapte natura dissecabilem, fragilem & diffluentem ad interitum, in suos pulcherrimos ordines continuatæ formæ digereret. Verùm is, qui omnibus rebus prior est, hanc corporatã ædem, si non turpem, illius maiestati tamẽ imparem, sibi non requirebat, sed alijs potius est extructa. Quoniam enim huius vniuersæ Reip. princeps optimè officio suo fungitur,

gitur, omnia instituit ad vnam subditorum suorum vtilitatem, eorum scilicet qui actiones suas omnes referunt ad solam principis sui dignitatem. Hi verò non possunt esse tantùm corporati, crassi, stupidi, qui & domini gloriam & suam vtilitatẽ ignorent, sed oportet, vt corporibus superiores & incorporei sint, qui & his crassis vti, & diuinis parere sciant. Sed inter immensitatem diuinam & hanc corporum dimensionem æternitas latissimè patet, quæ cùm omnia tempora comprehendat, nullis est dimensionibus circumscripta, nec etiam illi qui in æternitate versantur. Cùm autem Deus immensitate rebus omnibus sit superior, & æternitas mentibus inferior non sit, diuideretur enim in corporaturam, quam tamen esse dicimus indiuisam, oportet eam in ipsismet mentibus collocari. Mentes itaq; naturæ suæ τὸ ταυτὸ penitus impressum habent, quo continetur firma veritas omnium rerum: gerunt sigilli, quo expressa est hęc vniuersitas, characterem euidentem, purum & indiuisum: hæc natura propter materiam obscurum & in varias partes distractum: et ita sunt in hac continuò cũcta diuersa. In mentibus vnum, ens & æternitas planè conueniunt in idem. Si enim æternitas in prius & posterius diuideretur, tempus ipsa potiùs appellaretur: at nunc huius appellationes illi minimè conuenire possunt. Aeternitas igitur vna semper & eadẽ est, atque mentes etiam quæ in æternitate versantur, indiuisim & vno tanquam intuitu cuncta cernunt: puræ quædam energiæ sunt, quæ veritatem omnium rerum, etiam præteritarum atque futurarum ex sese & affluente purissima luce diuina depromunt. Corpora verò, cùm propter necessariam degenerationem debeant esse diuersa, & cuncta tamen, cùm ab vno facta sint, in vnum arctè conspirare, sympathiã quandam requirunt, & vicissitudinem actionum & affectionum certis temporibus dimensam. Sed nisi aliquandiu sit vnumquodque nullã operationem exercebit, quoniam momento temporis nihil omnino fieri potest: quapropter oportet vt habeat aliquam perseuerationem. Ita quanquam æternitas diuidi nequit, his tamẽ naturæ partibus quoque concipitur eius similitudo, & in alijs quidem minori, in quibusdã maiori mensura: similitudinem æternitatis appello, quoniam ipsa tantùm in mentibus est, vt in animo tempus. Animus prioris & posterioris numeratione tempus, mens indiuisa comprehensione æternitatem facit. Sed quæ diutissimè sunt, & maximam temporis dimensionem habent, ab ea quidem plurimùm etiam sunt diuisa, sed si eadem eorũ maneat οὐσία, partes omnes conueniũt in idem. Id ipsum de rerum energijs quoque dici debet: eatenus enim æternitatis imaginem quãdam gerunt, quatenus, vt sic dicam, idẽtitatem cõtinent, ac ea plurimam prioris & posterioris numerationem comprehendunt, & eatenus ad æternitatem

proximiùs accedunt. Sed vt rectè de rebus iudicemus, oportet vt maiora minoribus aliquoties repetitis, composita simplicibus & incerta certis examinemus. Ita monas omnium numerorum communis est mensura, quæ quidem parit etiam omnes rerũ analogias, quibus omnia fiunt & discernuntur. In hac autem rerum natura minimam quietem agit summum cælum, & ideo animus eius motu potiùs vtitur ad reliquorum dimensionem: nec ob id in cælo dicemus minimam esse similitudinem æternitatis: nam οὐσία semper idem est, & etiã energia, motusq́; qui quàm citissimè maxima cõficiunt, proximè ad æternitatem accedunt: minimũ enim numeratione prioris & posterioris sunt diuisi. Cùm itaque celerrimum illud corpus punctum magnitudinis percurrit, temporis momentum profert, tãquam minimam perseuerationis rerum mensurã: idq́; physicum quàm mathematicum, quod post infinitam relinquitur diuisionem, intelligere præstat. Quemadmodum autem multiplicata monas numeros, ita momentum tempora parit. Multiplicatur autem ab eo quòd mutationes & perseuerationes rerum ordine conferre potest, quomodo scilicet, dũ id quod maximè fluxum est, motus nimirum primi mobilis, mutatur, reliqua suis mensuris in suo statu motúue perseuerant. Ideo non malè Plotinus definiuisse videtur tempus, energiam transitoriam animæ qua continuò durationes vicissitudinis rerum motu cæli distinguuntur. Quanquam autem motus primi cæli pręcipua temporis sit mensura: omnia tamen suam quandam perseuerationem habent, cuius comparatione lõgum breueque tempus cognoscamus. sed nihil certius est motu primi cæli. Aeterna verò spacijs istis rerum, quæ semper prioris & posterioris moram trahunt, non impediuntur. nam quatenus capacia sunt veritatem omnium rerum, non quidem hãc prius illam posterius, aut hoc vel illo loco, sed omnem simul comprehendũt, totamque vniuersitatis imaginem gerunt, & in ea vident etiam hanc sensilem corporaturam: nam in suis causis euenta sunt, & in communibus ea quæ particulatim fiũt, & veritas multo purior in suis fontibus est, quàm in longissimè deductis riuis, quę iam materię limo vehementer perturbantur.

Et tamen his imis etiam cælestis origo est
Formis: in cunctis diuina relucet imago
Perfectæ monadis, quæ cuncta amplectitur, istam
Quanquam materies diuellat, nexus amoris

Arctè constringit cuncta: hunc si fata relaxent,
Confestim in tenebras nihili soluentur inanes.
Omnia prima monas peperit, fouet atque tuetur.
Hæc primùm est diuos enixa cupidinis ignes,
Vulcanus proprios quibus omnia conflat in vsus.
Ergo cunctorum verè dicetur origo.
Vnius vnum opus est dimensa hæc fabrica mundi
Immensi, exacto penitus conclusa rotundo.

Cùm rerum indagatores ab his limosis & conspurcatis sensilis veritatis riuulis, ad eius fontes pedetẽtim recurrunt, ex ijs nitidissimum & dulcissimum altoremq; veræ sapientiæ succum hauriunt, ex quo suum omnes disciplinę robur habent, & tandem ad communem omnium veritatem deducuntur, circa quam venerabilis reliquarum omnium artium mater præcipuè versatur. Speciem autem communem mente conceptam, qua cuncta purissimè continentur, philosophi ens nuncuparunt. Sed dubium esse nequit, quin veritas mentis semper consentanea sit veritati naturæ, nisi quis disciplinas omnes euertere velit, & eos turpiter errare, qui vt mente maximè vtuntur, ita sapientiores reliquis habentur: verùm is vt omnem rationem cõtemnit, ita nullis argumentis est temerè confutandus. Si autem veritas potissimùm est in mente, & in illa summum illud genus & monas prorsus est idem, consequens est vt vtriusque participatu cuncta sint in vniuersa rerum natura, & vt multa diuersáque sint, per multas diuersásq; monadas in suos numeros natura coniunctas, & vt quanquam per materiam deficiant & diuidantur, per monadem in suam formã & οὐσίαν sint cõprehensa. Quòd autẽ in mente ens & vnũ prorsus sit idẽ, hinc probari potest, quòd hoc de illo verè pronuncietur, nõ tanquã genus, nõ enim esset, si enti superius esset, nec etiã tanquam cõtingens, non enim esset id à quo accederet, si quidem ens purissimè cuncta quę sunt comprehendit. Quòd autem Aristoteles monadas ait nec corpus nec pondus nec alia quæ naturæ rerum adiuncta sunt habere, negabunt huius sententiæ authores: at quòd vnum omnia fore dicit, hoc in summo verum esse fatebuntur, in eius verò facto simulachro minimè necessarium esse respondebunt. Vnum autem fermè trifariam intelligi videmus, quemadmodum est apud Proclum, ἀτομὸν mathematicum,

quod multos, qui, cùm tantùm in cogitationibus sit, illud à rebus phi-
sicis distinguere non norũt, decipere solet. Secundò vnius nomine,
presertim ab his philosophis, de quibus nunc agimus, intelligi vide-
mus ἰδέαν cunctorum, & tertio summum illud quod etiam infinitum
Plato vocat: hoc autem prorsus vnum est: secũdum autem per mate-
riam multis modis est diuisum, sed tamen quatenus est, oportet vt om
nino sit vnum. Omnia sanè videmus in vnum arctissimè conuenire,
multas partes in vnum integrum, multa contingentia in vnum, vt vo-
cant subiectum, multa singularia in vnam speciem & genus. In singu-
lis partibus necessariò monas est, & in collectis vna forma totius, sum-
mæ monadis scilicet quidam character: vt non immeritò dictum sit,
vnum ipsum esse elementale, & eo esse cuncta quòd sint vnum. Nam
si tollamus monadem è rerum natura, protinus in vanos materiæ nu-
meros omnia distrahentur. Sed cauendum est ne rebus mathematicis,
quæ priores cadunt in phantasiam, decipiamur: sed oportet vt natu-
ralia semper intelligamus. Diceret aliquis, si vnum illud ens cuncta
continet, quomodo potest animis nostris comprehendi, quomodo
possumus illud ab illo supremo discernere, si differentias omnes, qui-
bus discerneretur, planè comprehẽdit: oportet enim vt sint, & in alio
quàm in illo, quod tamen etiam vnum est, esse non possunt. Respon-
debunt philosophi mentem tam latè quàm ipsam rerum omnium ve-
ritatem patere. Imò verò eam seipsam comprehendere, cùm veritatem
rerum & illud summum ens, quo cuncta continentur, comprehẽdit:
respondebunt etiam in quadam summæ monadis, monadis inquam,
non factæ, sed effectricis, eam continuò trahi ad superiorem cogni-
tionem, & eadem superius ab inferiori discerni. Ergo vnum infinitum
causa omnium rerum est, ens autẽ finitum in animis nostris est vnum
summum genus. Sed dicere posset rursus aliquis: Si ex vno purissimo
principio cuncta suam omnem originem ducunt, igitur differentię re-
rum vndénam potuerunt deriuari? Si sunt omnia vno genere compre-
hẽsa, cùm nihil causa sua carere queat, & ipsum illud summum genus,
sit in omnibus, nec in ijs aliud quicquam, cumque in eo cuncta sint, &
quidem vniuersa, in eo inquam simplici, quod nullam differentiam
admittat, quod etiam materiam, loca, tempora reliquaque compre-
hendat, omnia, quemadmodum inquiunt Peripatetici, tantùm vnum
erunt, atqui multis modis videmus esse diuisa. Varius autem defectus
differentias omnes in hanc naturã introduxit: quod priusquam osten-
damus, oportet vt earum numerum inuestigemus. Sed genera
prima non omnes eadem ponunt. Platonici quinque tantùm Sub-
stantiam, τὸ ταὐτὸν, τὸ ἕτερον, perseuerationem & motum. Plotinus in
rebus corporeis substantiam, accidens quod in substantia, quantita-

tem scilicet & qualitatem, accidens in quo substantia, locum videlicet & tempus. Aristoteles decem categorias, quas ab Archita Tarentino accepit, seruauit, inter quas qualitas numeratur, ac definitur, secundum quam quales dicimur esse. Quanquam autem verba signa nostrarum cogitationum sunt, & cogitationes etiam sunt imagines rerũ, Plato conqueritur sæpe non benè vocabula rebus imponi. Deinde prima pars huius categoriæ, nimirum agendi perferendíque facilitas vsu comparata, quippiam πρός τί potiùs significare videtur, dum ad ea quæ impedire solent actio cõfertur. παθη verò vel affectiones sunt, vel etiam comparationes. Nam dum quis irascitur, afficitur: iracundia verò procliuitas est ad iram. Qualitates autem quas passibiles vocant, vel motus sunt vel comparationes. nec enim sine auditu sonus est, nec auditus sinè sono. Mel etiam dulce pronunciamus, quatenus illud ad gustum conferimus. Quòd si verò potestate qualitates istas essè dixerimus, idem etiam de sensibus nostris intelligemus. Nam si aliquid oculos afficere potest, & oculi sanè percipere possunt affectionem, in quo colorum differentiæ collocantur. Inter categorias reponit etiam Aristoteles, Quando, quod nihil aliud quàm ordinẽ temporum significat, & comparationem alicuius vel rei vel actionis, vt in æstate, eo salutis anno. Nam dum per æstatem aut annum dicimus, tum perseuerationem & tempus significamus. Cùm vbi sit aliquid quęrimus, cum quo notiori loco coniunctum sit scire desideramus, vt Romæ est, in foro, apud regem. Positus fermè nihil aliud significat, quàm comparationem totius alicuius cum parte qua sustinetur: ita stamus in pedes, in nates sedemus, in longitudinem iacemus. Significat etiam partis alicuius cum toto comparationem: ita situm siderum & vrbium intelligimus. Nihil etiam quàm comparationes sunt genera vestiendi. Nos autem cõsideremus an ex natura rerum alia genera depromere possimus. Anteà diximus, cùm vnum ens rerum omnium principium sit, ex defectu differentias in hanc naturam introductas. Defectus autem à monade diuulsionem partium facit, in qua materiæ vis est, vt & formæ in quadam perfecta coniunctione: hæc agendi potiùs, illa perferendi naturam habet. Ex materia verò formaque fit ea quam nos Substantiam appellamus. Sic deprehendimus duo genera rerum, substantiam scilicet & motum, qui continet actionẽ & affectionem. Nam defectus à monade materiæ diuisionem peperit, monadis autem imago formam. Non enim res prorsus à monade in nihilum defecerunt, sed omne interuallum conficitur aliquo motu. At per materiam etiam quantitatem inueniemus, cui proprium est vt continuò diuidatur, & per formam habemus in his corporatis figuram, quæ facit vt diuidua sint positione partium in vnum continuata. Per motum corporeum

quodq;

quodq; deficit à sua natura: quod enim accedit nondum est, nec etiam est, nisi maneat aliquandiu quod accesit: vnde fit, vt etiam perseueratione sit opus. Sic ex defectu entis quinque summæ differentiæ sunt adinuentæ, substantia, motus, figura, quantitas, perseueratio, & quoniam à nobis omnia conferri possunt, his sexta cōparatio, quam πρός τι Aristoteles vocat, accesit, quanquam in solis animis nostris suam naturam habere videtur, non in altero quod cōfertur, nec etiam in vtroque. Duplicis & simplicis analogia, nec in duplici nec in simplici est. Si enim in vno esset integra, altero non haberet opus, nec etiam est in ambobus magnis interuallis sæpe diuulsis. Pariter enim diuelleretur, quæ propter monadē tamen diuelli nequit. Sed diximus ab vno suam naturam omnia tenere, cuius vis, quum in diuersis & in omnibus sit, quanquam sint alioqui multis modis diuisa, non est mirum quòd in quibus maior est, euidentioribus effectis se demonstret. Ita etiam diuersissima communi vinculo continentur, idque per auream suam catenam pulchrè nobis significauit Homerus. Vnum causa principiumque rerum omnium est, & effectum etiam, hæc scilicet vniuersitas est vnum, quamuis in partium differentias sit distributum. Vnum enim efficiēs ad vnius exemplaris similitudinem semper vnum opus facit. Quod autem vnum sit efficiens manifestum, siquidem hæc vniuersitas ab alio quàm Deo fieri nequit. Constat etiā vnum esse exemplar, ad cuius similitudinem est factus. Nam artificij summi intellectusque maxima vestigia refert mundus, intellectus autem diuinus vnus tantum esse potest, & necessarium est ut totum artificium totum exemplar exprimat: quapropter si alij mundi extra hunc sunt, omnes erunt tanquam partes vnius alicuius perfecti. Atqui vnius vnum medium est, ad quod omnia quæ sunt eiusdem naturæ, grauis scilicet, ferantur: eaque ratio reliquis quoque partibus accommodari potest. Quod autem finitus mūdus sit, vel hinc intelligere licet, quòd vnum tantum virtute, nihil circumscriptione possit esse infinitum, & quod alioqui infinitas haberet vires cum breui circuitu sit comprehensus. Deinde partes finitæ sunt, ex quibus etiam compositum oportet vt omne sit finitum. Nec etiam componi potest quippiam sine partium sympathia, quam infinita distantia non admittit. Et tamen vt causam suam mundus referat, formam habet similem infinito. In rotundo enim extrema contrariaque non sunt; ad motum continuum accommodatissimum est, & minimùm obnoxium corruptioni, plurimaq;, inter alias æque latè patentes figuras, comprehendit. Sed quod magnitudinis fines habet & continuo diuidi potest, infinito tempore se conseruare nequit: ergo sua natura nec ingenitum nec perpetuū erit. Oportet igitur vt sit ab aliqua causa superiore, quæ si rursus immensa

non est, erit ab alia, donec deuentum sit ad immensam. Immensitatis autem est immensum opus naturale. Necessarium est igitur vt hoc dimensum sit eius voluntarium opus, cuius necessarias causas quærere nō decet. Omnes rationes è natura rerū sumūtur, quę quidē lōgè inferior est diuinę voluntati: non igitur ijs de alia natura possumus iudicare: de alia inquam, quā extra vel ante hanc fingere quis possit, sed potiùs authoritate Dei, quę voluntatem eius notam facit. si dicāt immutabilem Dei voluntatem, cùm effectum causæ suæ similitudinem gerat, operis noui fabricatricē esse nō posse: respōdebimus perpetuā fuisse volūtatem huius effecti, ijs temporis & loci spacijs circumscripti. Cur igitur nec maior nec antiquior factus mundus, ignoramus, quod autem finitus sit & non longæuus scimus, nec vel ante vel extra, quę rerum natura non admittit dicere vel intelligere debemus: sed Deum natura non tempore mundo priorem esse pronunciabimus, quoniam ante hunc mundum tempus nullum fuit.

Isto principio constructa est machina mundi.
Hoc semper medio consistit in æquore tellus,
Atq; aër vasto spacio se effundit inanis.
Hoc etiam excelso se vertunt sidera cælo,
Cunctáque sunt varijs pulchrè distincta figuris,
Gemmæ, herbæ, stirpes, animantia, deniq; rerum
Hæc series, totum latè digesta per orbem.
Quanquam hîc inter se tradunt diuersa magistri
Naturæ, hîc varias peperit sapientia sectas
Humana. obtusis oculis vix crassa propinquo
Cernitis aspectu. longo at quæ tramite distant
Paruáque sunt, fugiunt aciem, nisi luce iuuetur
Perspicua, in minimos longosque subire recessus
Quæ sciat, & vultus abstrusi ostendere veri.
Hac opus est, claras cupias si cernere formas

Rerum

Rerum, si viuo mentem oblectare colore.
At perdifficile est lippis perferre coruscam
Lucem, quæ rutilo perstringit verbere vestram
Hanc aciem, obiectis ni se defendat in vmbris.
Hinc est quòd verum nemo iam cernat aperto
Vultu, & quòd causas cognoscat more remotas
Quisque suo. hîc densis sunt omnia tecta tenebris.
Attamen his acies magis est penetrabilis, illis
Obscura: vt quanquam cernatur ab omnibus idem
Spectrum, non simili se ostendat imagine cunctis.
Quidam elementa putant primæua exordia mundi,
Innumerisq; modis esse hæc diuisa per omnem
Naturam in minimas partes, quas limite certo
Constringat monadis virtus, rursusq; solutas,
Hac sæpe in varias primasque redire figuras.
Sunt qui lite putent & amore hæc omnia nasci
Interitusque pati. Sunt qui magno vndiq; paruum
Miscent. Antiqui informem cecinere parentem,
Atq; hunc perpetuo vinctum iacuisse lethargo,
Horrendumq; chaos matrem atq; cupidinis ignes
Primos. Sed tandem communis fama recepit,
Formam & materiam prima esse exordia rerum.
At potiùs partes hæ sint, quæ vt summa potestas
Fecit, principij sola ipsa meretur honorem:
Vt quæ non vllum fuerit producta per æuum,
Atq; sua his cunctis dederit primordia rebus.

Atqui

Atqui facta monas poterit quoq; nomine dici
Principij, veluti supremæ proxima imago.

Qui ὁμοιόμερα introduxerunt, ijs elementa quatuor videri possunt intellexisse, quibus aliqui mentem faciunt superiorem, quæ fluctuationem, alioqui infinitam, in ordinem continenter redigit. Ita non tollit generationem hæc sententia, quemadmodum Aristoteles putat. Platonici nonnunquam finitum & infinitum principia faciunt. finitum principium appellari potest forma, infinitum causa & materia, illa potestate, hæc quatenus forma caret. Similiter etiam Parmenides finitum secundum rationem, Melissus infinitum secũdum materiam, aut causam potiùs, intellexisse vidētur: nec iccirco motum tollunt quòd perseuerationem faciant superiorem. Thales aquam, Anaximenes aëra principium dixit, Heraclitus ignem, & rarum atque densum, Empedocles quatuor elementa, & amicitiam quæ concretionis sit causa, inimicitiamque, quæ dissipationem afferat. Plato formas, seu ideas constituit cum magnitudine materiæ, cuius participatione ex monade numeri fiant & substantiæ, quæ rursus propter monadis characterem sint indiuisæ. Vnum quidem & bonum in solo Deo esse dicit, quod etiam omnium principium sit, sed tamen mònadis expressam similitudinem hanc vniuersitatem continere, & etiam singulas eius partes, quę poßit etiam principij nomine vocari. Forma vero corpore. dum se extendit aut contrahit, rarum & densum materiamque magnam aut paruam facit. Cùm autem quantitas propriè diuidatur, & diuisio potiùs materiæ sit quàm formæ, ideo melius rarum & densum materiæ tribuit Plato, quàm Heraclitus formæ. Omnes tamen philosophi fermè conueniunt, si quis eos rectè velit interpretari, nisi quòd alijs alij remotiora principia ponunt.

At quoniã artifici par vel contraria nunquam est
Fabrica, non numero fuerint vel corpora tractu
Immenso, aut vlla fuerit sine imagine prima
Rerum materies. opus est vt signa parentis
Circumquaq; gerat. nunquam vult nuda videri.
Si tentes, vacuas subitò euanescet in auras.

Quòd

Quòd si nunc istum vultum detraxeris, alter
Est præstò: nunc se potiùs demonstrat in isto,
Nunc illo atq; alio: fului sic massa metalli
Subtili varias sæpe induit arte figuras.
Ipsa subinde noua tentat se ostendere veste,
Defectusq; suos illa cælare: nec vna
Est contenta diu, sed personam induit omnem,
Et sic assumpto nouit vos fallere vultu.
Quid moror? hanc proprijs si vis dignoscere signis,
Materia est diuæ tantùm defectio formæ,
Et forma est monadis perfectæ proxima imago.
Quanquam à principio latè digressa vigorem
Diuinum perdit, loca dum prærupta pererrat,
Atq; hanc obscuram certo sine limite syluam,
Diua tamen species semper sectatur honestum.
Hac sese in iustas extendunt omnia vires,
Naturaq; sua gaudent: sed turbida gignit
Materies varios motus: sic vtraque partes
Implet nempe suas, magni vt pia fabrica templi
Sumat diuersum pulchrè distincta decorum,
Et vos multiplicis delectet forma theatri.

Materiæ cognitionem philosophi perquàm difficilem iudicarunt, quemadmodū ex ijs quæ in Timæo Platonis & in Aristotelis physicis scripta sunt, cognoscere licet. Et tamen quin sit aliqua materia contrarijs qualitatum actionibus subiecta, nunquam dubitarunt, quam Plato ἑδρὰν χωρὰν καὶ τοπόν appellauit. Et tamē à loco differt: nam est intima locoque comprehensa, non suapte quidem natura, sed propter formæ coniunctionem: vt sit tanquam vacuum quoddā & inane spa-

cium naturæ necessitate formis semper adiunctum, & tamen per se ijs omnibus spoliatum, in quod se formarum vis extendat. Est & aliud quoddam spacium mathematicum in animis nostris, quo de rebus physicis non est iudicãdum, sed eò potiùs in quod vniuersitas formarum corporearum sese extendit, cuius quæq; forma partem suam & habet, & secum etiam defert, vnde fiat, vt duo corpora non posint in eodem versari, nec vnum deficere quin introducatur aliud, ne vacuum, hoc est nihilum, sit in hac rerum natura. Emergẽs diuinitus corporea forma suam energiam in dimensionem effundit, & eatenus distrahitur in partes, ac materiam & corporaturam assumit. Quòd si vis eadem nunc latiùs extendatur, nunc in angustum contrahatur, rarum corpus fit & densum. Sed optima sunt diuina, quæ nullam dimensionem habent: nam spacium semper imbecillitatem continere videtur. Forma verò corporea propter defectum fine dimensionis est comprehensa, partesque propter materiam habet distractas: imò in ea diuisionis natura materiæ vis est sita. Diuina, quia non sunt in partes diuulsa, sed in vnum omnino coniuncta, materiam hanc non habent. Cælestes formæ se inuicem nunquam spacio suo excludunt, & ideo alterius generis, quàm hæc, ea quoque materia iudicatur. Cùm autem materia causa corruptionis sit, vehementer errarunt, qui eam ingenitam esse iudicarunt, sic enim suæ causæ similis fuerit. Atqui cum innumeris modis differat, istæ differentiæ fuerint omnes genitæ, siquidem ingenito non differunt. Atqui genitis omnibus aliquid priùs est: ita dicere cogemur Deum idem esse quod materiam primam, si ab ea non differt, vel si differt, aliquid superiùs intelligere quod hæc in suas differentias diuisisset. Profectò ad vnicum optimum summumq; principium perueniendum est, nec optimo pessimum est vllo modo par pronunciandum. Iam si vixdum est materia, omnis actio potiùs est ad formam referenda, quàm simplex quiddam, constans, expetendum philosophi vocant, & corporis perfectionem, quòd sit tanquam corporeus quidam vnitatis character, ab idea sua in materiam expressus. Eatenus certè sunt res, quatenus enadis vim continent: quatenus autem inde recedunt, degenerant, diuiduntur ac corrumpuntur. Degenerationis autẽ essentia, substantijs omnibus innexa, tanquam est materia cuiusque, quæ semper in nihilum vergit, nisi eius essentiam forma sistat, à qua quidem ratione tantùm est diuersa. Substantiæ pars est sine qua vnũ penitus essent res. Sed ex materia formaq; quãtitas emergit: ab illa diuidua est, ab hac autẽ cõtinuatur. At quædam formæ materiam vix vllam habent (solus enim Deus absolutè purus dici potest) citraque quantitatem consistunt, & loci temporisque angustijs non constringuntur: quo verò plus habent materię, in plures partes omnia

sunt

sunt distracta. Nam se forma dum in materiam extendit, monadem suam deserit, & magnitudinem diuiduam facit: sed partes rerum cohęrent per formam, quæ quia singulorum essentiam perficit, ideo nihil est in infinitum diuisum. nam infinita diuisio monadi cōtraria, adeoq; nihil esset.

Innumeris stellis en vt cælatus Olympus,
Vt sunt concinnis hîc cuncta expressa figuris,
Texuit hanc telam quondam Tritonia virgo,
Quæ longè superat reliquos omni arte magistros. a
Dædala quàm pulchris ornata est vndiq; formis
Tellus, quàm placido vernantia prata virore.
Vmbrosas syluas, argentea flumina, campos
Quid flauos referam, glauci quid turgida regna
Neptuni, aut auidi pretiosis plena metallis
Vulcani? Varijs formis animantia terram
Ecce vt perreptent. Cuncta at miracula rerum
Excedunt homines. Quanti est hæc fabrica molis
Artificis. tamen hanc facili conamine fecit.
Fiat ait cælum, terra, æquora, flumina, montes,
Æs, gemmæ, stirpes, flores, animantia, mentes,
Temporibusq; locisq; suis, iustisq; figuris.
Dixerat, & verbi virtus se extendit in æuum:
Hac molem hanc rapido collustrat lumine Titan, b
Hac vicina suam diffundit flamma calorem,

a Hic mundus exemplaris diuini simulachrum secūdum Platonem, suis vicibus concipit effigies rerum æternarum: & Minerua diuinam sapientiam significat, quæ tam absolutè cuncta facit, vt esse meliora non possint.

b Alij dicunt mentes rebus omnibus præesse, alij vi voluntatis diuinæ, sine mentibus, partes naturæ gubernari.

Atq; hac excelsum se tollit in æthera pinus,
Hac cuncta in proprias se mutant deniq; formas.
O' validum pectus solo sermone quod omnem hunc
Expreßisse potest viua sub imagine mundum,
Omniaq; aßiduo tam promptè impellere motu.
O' summum ingenium, quo tot discrimina rerum
Ordine tam pulchro fiunt: vt prima secundis
Postremisq; apto nexu coniuncta perennes
In totam seriem transfundant ordine vires,
Et sic in proprios decurrant omnia fines.
Cælum circuitu supremo cuncta reuoluit.
Inferius contrà nunc celsa atq; ima feruntur,
In dextram tendunt læuámue errantia partem
Sidera, nunc pergunt vltra, rursusq; recedunt,
Ordine quæq; suo. ducunt hinc inde choreas,
Omnigenas certa texunt vertigine formas:
Et sic exprimitur diui exemplaris imago
Corporea, proprijs quæ temporibusq; locisq;
Omnia contineat. Frustrà quæsiueris orbis
Naturam alterius: nempe hæc perfecta secundæ
Esse nihil reliqui voluit: sola vna perennis,
Altera facta fuit, quæ se illi perpete motu
Aptet, quæ faciem nunquam demonstret eandem.
Continuò diuûm dum concipit ordine vultum,
Hæc pereunt, alia enascuntur: tempore crescunt,
Decrescuntq; iterum. nunc hoc dotatus honore es?

Cras alius vel nullus eris: iuuenesque senesque
Defunctosq; breuis pariter coniunxerit hora.
Multos Roma dedit, multos quoq; Græcia magnos
Inuictosque viros: multæq; fuere potentes
Vrbes & populi, & latè crescentia regna.
Nunc vbi sunt? ingens Babylon vbi? mœnia Cadmi,
Regnaque Pyramidum stultam iactantia laudem,
Nunc vbi sunt? Macedum velox vbi gloria? vanas
Iam planè miseri nihili desciuit in vmbras.
Quàm multi tumidam toto conamine monstrant
Pompam, quæ ignotas subitò euanescet in auras.
Nam sola æternam vitam cælestia ducunt.
Humana immemori sunt cuncta obnoxia letho.
Puncta sua hæc motu cõmutant cuncta quaterno,
Atq; breui aßiduos mensurant limite cursus.

Quoniam temporaria æternitatem comprehendere non possunt, hinc est succesio continua rerum, qua tota natura temporaria vicibus suis æternitatis indiuisum ordinem imitaretur. Hanc autem succesionem motum appellarunt, qua vnum alteri cedit: motus autem significationem in vniuersum intelligi volo, quę generationem etiam comprehendat. Est in omni motu id quod mouet, & quod mouetur, & insuper aliquid in quo fit & etiam ad quod fit motus: quæ si fuerint eadem, vnus erit motus. Sed energia mouentis eiusque quod mouetur ratione tantùm est diuersa. Eadem enim cùm sit, ab eo quod mouet progreditur in id quod mouetur. Id in quo fit motus subiectum vocant & etiam tempus. Subiectum intelligo nudum sine eo quod introducitur aut expellitur, vt in generatione materiã sine forma. Cùm autem certum sit spacium vniuersitatis, quo non possunt omnes corporeæ formæ simul contineri, necessarium est, vt vna per generationem & corruptionem alteri materia, tãquam loco, cedat. Rursus cùm formæ substantiales in materiam suam sese extendant, nec spacij dimensio semper esse debuerit eadem, cùm in suo statu hic inferiùs nihil manere posit, sed in continuò sit vel incremento vel decremento, fit

 vt

vt vnũ corpus in aliud ita se insinuet, vel ab eo subtrahatur, vt analogia formæ substantiali consentanea seruetur, & tantũ maior minórue fiat. Vt etiam omnia bonum à quo facta sunt, imitentur, è se species quasdam emittunt, quæ à vicinis continuò concipiantur, vnde nouam hæc qualitatem acquirant. Verùm hęc citra loci mutationẽ non fiunt. Ad exornationem autem vniuersi debebat esse varius rerũ ordo, variæ coniunctiones & separationes. Et ita necesse fuit vnum in alterius locum subire, quod dum fit, spacium quoque corporum naturale cum formis transfertur. Ita quadruplex motus est, substantiæ, quantitatis, qualitatis atque loci, & propterea quod à contrario fit in contrarium, quilibet est in duas partes diuisus. Sed cùm ex eo quod non est aliquid fieri dicunt, potentiam & materiam intelligunt: priuatio namque, quæ nihil prorsus est materiæ coniuncta, cedit accedenti formę, substantia namque substantiæ contraria non est, sed diuersa: & ideo generatio videri potest non esse motus. Cùm autem motus per continuum fiat, non ergo per atomos: nam atomi duo continuum non reddunt, partibus enim se non contingunt, siquidem partibus carent, nec etiam vnus excedit alterum, vnde fit vt atomorum adiectione nihil maius fiat, sed minimorum corpusculorum, quæ si mathematici diuidi posse fingant ad exactiorem demonstrationem, nunquam tamen sunt diuisa. Ergo inter duos atomos mathematicos necessariò continuum erit: alioqui namque soli continuarentur. Qualis autẽ magnitudo, talis est & motus & etiam tempus, & atomi singulorum singulis respondent, vt si minimus motus diuidatur, similiter & magnitudo per quam & tẽpus in quo fit motus. Nam celeritas crescẽs in infinitum & tẽpus similiter & magnitudinẽ secat. Mathematicis enim rationibus hæc omnia sunt in infinitum diuisa. Sed infinita moles nequit finito tempore moueri. Pars enim eius parte temporis mouebitur, quæ, vt pars temporis, analogiam seruet ad totum. Infinitum autem partibus caret: nec etiam finitum infinito tempore mouetur, quia pars finiti, parte temporis moueretur, quæ ad totum suam analogiam haberent. Eodem modo probabitur infinitum infinito tempore non moueri, & infiniti potestatem infinitam finiti autem esse finitam. Ideoque inter finitum & infinitũ nullam esse sympathiam, nullumque motum esse per suam naturam æternum.. Rursus quoniam præsens, finis est præteriti principiumque futuri, idem in vtroque erit, vel tempus intermediũ, quo diuiso, aliquid præteritum erit post præteriti finem, & futurum ante initiũ futuri. Præsens igitur est indiuisum, in quo nihil mouetur, cùm celeriùs & tardiùs non admittat. Quicquid ergo mouetur diuidi potest. Iam si quod mouetur totũ sit in eo vnde mouetur, nundum mouetur, si in eo quo mouetur, motũ suum cõfecit, si in neutro non mo-

uetur ab vno in aliud, ergo partim est in vno partim in alio. Sed ex his cognosci potest principium insectile motus nullum, & ante motum omnem semper alium motum esse, hac mathematicorum infinita diuisione, qua tamē nihil extēditur in infinitam molē. Diuisio enim minora potiùs omnia quàm maiora reddit. Cùm autē triplex sit motus per locum, rectus, in circulum & ex his mixtus, necessariū est simplex corpus simplici motu, compositum composito cieri: natura enim simplex, ne sine causa quicquam fiat, semper simplicem edit actionem. Sed cùm vnum vni tantum contrarium sit, & inter contrarios motus quies, & superius inferiori sit contrarium, non autem in circulo punctus vicino puncto, continuus in hoc motus in eodem subiecto fiet æquabiliter, circa mediū, & in variam positionem, dextram sinistram, superiorem & inferiorem. Aristoteles mundi dextrū oriens, superiorem antarcticum polum facit: contrà Pithagorici, qui siderum errantium motus considerarunt.

Ast hæc vt referant diuinam corpora causam,
Terno etiam gaudent numero, triplicis tenentur
Mensura, & triquetris constant hæc omnia primis
Formis, perfecto quæ sint conclusa rotundo.
Exprimit hoc monadis cùm sit sine fine figuram.
Sic monas atq; trias sunt magna exordia rerum.
Pyramidis forma est ignis penetrabilis, alto
Gaudens, quod spacium pro mobilitate requirat.
Duris hexaëdris tellus concrescit in imo
Naturæ, angustus fuerat locus iste quietis:
Cæteraq; octaëdris constant duo & icosaëdris,
Ætherq; è puris potiùs fit dodecaedris.
Diuerso positu & multis sic partibus ingens
Ista ex arte suam sortita est machina formam.
At Deus huic operi voluit præesse magistros

Do-

Doctos, qui varium naturæ reddere templum
Scirent, & minimas ex ordine iungere partes.
Hi reparant, mutāt, at seruant vndique pulchram
Effigiem, vultus quanquam mutetur in omnes.
Diximus è quibus est constructa hæc machina mūdi
Principijs: at nunc pergemus reddere causas
Rerum, atque imprimis quæ'nam sit origo metalli
Dicemus. radij cæli per viscera terræ
Constricti exiguo spacio, violenter adurunt:
Sulphurq́, et viuum argentū, quibus ima redūdant,
Sursum flamma rapit, quæ tandem frigore summæ
Concrescunt terræ, partim assumentia talem
Formam, quæ misero multos captiuet amore.
Mulciber in medio mundi sua regna locauit.
Hæc horrendorum Cyclopum est feruida sedes,
Aßiduo diram feriunt qui verbere massam.
Auro primus honos datur, argentoq́, secundus,
Quòd purgata magis sint & perpessa labores
Plureis: sed multis multorum causa malorum.
Quàm multæ vasto iactantur in æquore naues,
Dum vult commutare suas Hispanus Eois
Merces, non metuit turbantes æquora soles,
In contraria bis breuibus dum trāsmeat vmbris.
Plures Arctoum per plura pericula sulcant
Pontum, per medios cupiunt ditescere fluctus.
O stulti miseris pro nummis perdere vitam

Vul-

Vultis. Diuitias auidè dum quæritis amplas
Per fas per'q; nefas, agitantur corpora ponto,
Et pereunt nummi cum vita. Nónne fuisset
Vtilius dulces cum coniuge ducere noctes,
Moribus & pulchris natos formare tenellos,
Quam pro diuitijs inopesq; relinquere & orbos?
Magno diuitiæ constant, partæq; molestam
Reddunt atq; trahunt per mille pericula vitam.
Multi sub mediam moribundo lumine noctem
Fœdos sollicitè nummos en sæpe reuoluunt,
Et cum decrepitæ iam sint in fine senectæ,
Quàm tantùm deceat causas captare quietis,
Cum nummis cumulant curas: nempe vndiq; vestræ
Atque etiam extremæ se vitæ insania iungit.
Aurum mirantur, quod nil nisi massa coacti est
Sulphuris argenti & viui: nitidisque lapillis
Materia est similis, coctus per viscera terræ
Fumus, & in variam concretus frigore formam.
Est diuersa tamen cunctis uis insita cæli,
Quæ facit vt magnos quædam mereantur honores.
Sunt qui infelicem massam conamine vano
Sæpe coquant, variam fingant hac arte metalli
Formã, quæ immenso purgata labore nitescat,
Assumatq; auri tandem argenti'ue figuram:
Ast opus est rerum numeros cæliq; coire
Certos, ad species vlla sine fraude nouandas.

Quòd si cuncta scias miscere elementa decenti
Temperie, insignis descendet ab æthere virtus.
Qui subit è terra vapor imi frigore mundi
Concretus, variam cæli discrimine sumit
Effigiem & similis crescit compagine succi,
Quem cognata trahit virtus: constrictus in vndas
Producit fontes, fluuiosq́; frequenter in auras
Se effundit, flamma validè sublatus, & alto
Frigore depulsus, robur violentius effert,
Atq; etiam horrendo subuertit turbine terram.
Solanus nitida medio procedit ab ortu
Temperie, atq; eius spirat de parte sinistra
Eurus, at à dextra est qui nubes attrahit. Auster
Turbidus à medio est sole. hic socium sibi iunxit
A dextra Euronotũ, læuaq́ue à parte locatus
Est ventus, Libyæ qui Austrinis fertur ab oris.
At se Solano Zephyrus vitalis aperto
Obijcit, atque Eurum reprimit violentia Cori,
Circius Euronotum. Boreas delapsus ab Arctis
In mediam Libyam, nimios contemperat æstus.
Obscurum gelidus Septentrio discutit Austrum.
Hellespontiaco pugnat Libs. Conditor orbis
Vult vt perpetuum peragant contraria motum,
Atque hoc in varias concrescant omnia formas.
In medio gelidus gignit vapor aëre nubem,
Cuius ab oppositis soli cauitatibus Iris

Osten-

Ostendit varium confracta luce colorem.
Inde etiam nebula est, pluuia & nix, grando, calore
Sublatæ & medij repedantes frigore cæli.
Vsqueadeo cunctis rebus placet ignea virtus.
Non rarò in medijs conclusus nubibus æstus
Vi magna erumpit, quæq; obuia corpora sternit,
Oßibus exhaurit non tactis sæpe medullas,
Largumque illæso depascit vase liquorem,
Nec secus ac vastæ cum molis facta ruina est,
Terribilis sequitur fragor, latè omnia quassans,
Vestrasque ingenti turbans formidine mentes.
Quandoq; horrendos æther quoq; concipit ignes,
Tristia significans magni præsagia fati.

Elementa simplicissima quædam corpora sunt, in quæ, quoniam ex his constant, omnia postremò diuiduntur. Corpus nostrum primùm secari in caput, thoracem & alias suas partes potest, & hæ singulæ in carnem, ossa cæteraque, quas ὁμοιόμερα vocant: hæ verò diuiduntur in elementa. Non est autem aliquis qui dubitet quin composita ex simplicibus, hoc est elementis, in vnū cōiunctis fiant. Et hæc quidem infinita, cùm differentię corporum finitę sint, esse non possunt: eorum tum numerus quibusdam incertus esse videtur, quòd tam sensilia quàm sentiendi instrumenta sic omnia composita sint, vt simplex aliquod à nobis sentiri non queat. Verùm nos hæc nō sensibus, sed ratione potiùs inuestigāda putamus. Itaque cùm inferiora cuncta transmutari & in continuo quodam motu, suis vicibus, in absolutionem vniuersitatis contendere debeant, nec id in hac natura sine contrarijs fieri possit, necessaria fuerint, vt est apud Aristotelē, elemēta duo, vt substantia locoque, ita & motu quoq; & virtute diuersa. Rursus quando quidem homini corpora cuncta seruiunt, qui sit ea sensibus percepturus, cumque sensus extremi duo sint, visus atque tactus, ac ille lumē, hic soliditatē requirat, quo nihil frustrà fiat, hinc est quòd corpus luminosum, ignē scilicet, aliudque solidū, quod terram vocamus, ar-

tifex sapientissimus crearit. Nam quanquam sensus compositi simplicia corpora non discernant, quãquam etiam sic omnia confusa sint, vt simplex aliquod solum nunquam afficiat sensum, tamen cognoscimus, id quod igneum est oculos, terreum autem tactũ nostrum maximè commouere: & inde quoque intelligimus illã vim superiori, hanc autem inferiori corpori potissimùm inesse. Sed duo contraria, si quicquam factura fuerãt, & vnius alicuius tanquam membra futura, mutuum profectò quoddam commercium habere debebant. Vnum autem contrarium suo motu non accedit ad suum aduersarium (cùm se quodque seruare cupiat, non perniciem aliquam accersere) nisi inter sese beneuolè coniũgantur. Non igitur à se, sed potiùs ab alio, non tamen externo, quod nimirum vi compellat ad mutuum interitum, sed ab intermedio quodam, quod illecebris quibusdam diuersa conciliare posit, in compositionem rerum contraria coalescunt: medium igitur ad vtrunque necessariò continebit quandam analogiam. Arcta verò corporum analogia, sine medio duplici esse non potest: in qua quidem sit τὸ ἴσον, τὸ ταυτὸν καὶ τὸ ὁμοῖον, maximè ταυτοτής. Omnia siquidem, numero, mensura, pondere facta sunt, hoc est numero, mole, virtute: primùm est Arithmeticæ, secundum est Geometricæ, tertium autem musicæ considerationis. Vocum nanque discrimen tensis pondere chordis inueniũt, vocesque aliæ graues sunt aliç leues seu acutæ. Rursus pro chordæ diuisione sumitur discrimen vocum earumque virtus. Sed in numeris, in continuis, inque vocibus, licet cõstituere geometricam medietatem, in qua quemadmodum primum ad medium, ita & medium comparetur ad postremum: vt quoniam in medio conueniunt, conueniant etiam inter sese extrema. Verùm inter duo plana mediũ vnum sese pariter & extrema cõnectit. Per plana intelligimus ea quæ similia vocãtur, quorũ inter se partes analogia mutua respondet. Sumatur in numeris demonstratio ex propositione decima sexta libri octaui Euclydis, in cõtinuis, ex Chalcidio in Timæum Platonis. Si quis dicat in figuris similibus eas esse mathematicorum demonstrationes, elementorũ autem figuras admodũ esse dissimiles, cum Chalcidio respondebimus, in elementorum virtute potiùs hęc intelligi debere, cuius ob id etiam mentionem facit Plato. Virtus autem hæc proficiscitur à formis quas οὐσιώδη vocant, vt etiam figuræ. Satiùs est autem vt hæc in causis quàm in effectis intelligamus, quòd si fecerimus, omnia peripateticorum argumenta sine negocio dissoluemus. Certè si terra semper stabilem ignis expetit figuram acutam, principium aliquod erit, quod quemadmodum dimensiones figurarum non diuidatur sed vim suam retineat, quæ vel in hanc vel in illam se figurã semper extendat. Ita reliquæ formæ sine materia dimensionẽ nõ habent

bēt, & tamē oportet vt obseruēt mutuā quandā analogiā, quę per materiā distribuatur. Sed ignis & terra quia corpora sunt, duo media postulabāt, in quib. pręter triplicē dimēsionē, etiā virtutē cōsideramus. Iamblichus materiā et formā planis cōparat, inter quę sit vnicū mediū nimirū vita. Elemēta verò cōparat cōpositis, in quibus singulis quia diuersæ sunt simplices qualitates, totidē quoq; mediæ reperiuntur inter elemēta extrema: nimirū inter ignis caliditatē & humiditatē, terræq; frigus & siccitatē, aëris calor, & humiditas aquæ. Sic vt humore ambo media cōueniāt, & aër calore cū igni, aqua verò cōueniat frigore cum terra. Proclus autē trium qualitatum mixturam inuexit. In igni dicit esse tenuitatem, acumen & mobilitatem, in terra crassitiem hebetudinem atque quietem: aërem cum igni conuenire tenuitate & motu, aquam cum terra crassitie & obtusitate, cum aëre obtusitate & motu. Sed videtur in similibus analogia potiùs sumi debuisse. Dum enim dicimus quemadmodū tenuitas & mobilitas ignis ad eā quæ est in aëre, sic mobilitas & crassities aëris, ad eam quæ aquæ, quanquam analogia sit eadem, tamen res quæ comparantur sunt diuersæ: deuenitur enim à tenuitate & mobilitate ad obtusitatem. Analogia verò potior est eorum quæ generis sunt eiusdem. Itaque tenuitas magnitudo penetransque ignea vis, cum aërea, hæc autem cū aquea, istaque cum terrea quoque conferri potest: vt quemadmodum tenuitas ignis est ad aëris tenuitatem, ita & aëris tenuitas, ad aqueam, & hæc etiam ad terrenam: non quòd aqua vel terra tenuium partium sit, sed quoniam in comparatione quod dēsum est minus tenue vocatur. Sed hæc latiùs hoc loco nō sunt explicāda. Mundus itaque hic inferior concordi quatuor simpliciū corporū vinculo connexus est, quo etiam res diuersissimæ in mutuum amorem conspirant. Imò cælum quoque ex quatuor elementis constare putant adeò contemperatis, vt vnum ad alterius interitum minimè vergat, sed perseueranti quadam analogia conseruetur, alij potiùs ex formis purioribus elementorum, quę ad mutuam perniciem nullam habeant potestatem, quoniam materiam suam perfectius comprehendunt, minus ab æternitate degenerant, & motibus cōtrarijs carēt. Sed tamen cùm propter diuersas partiū energias suam etiam compositionem habeāt, & omnis compositio sit obnoxia corruptioni, potiùs à causa gubernante, quàm suæ corporaturę natura, ita dicimus ea conseruari. Platonici vero cælum igneum esse iudicarunt, nec iccirco periculum est, ne statim mundus conflagret, quemadmodum Aristoteles putat, cùm nec elementū simplicissimum ignis propter suam tenuitatem vrat. Quoniam enim exustio fit ob continui penetrationem ac diuisionem, corpus aliquod non ab vllo nisi crassiore vnquam diuelli solet, nec etiam quia sursum mouetur ignis ob

 id

id non est igneum cælum: nam si extra locum suum esset collocatum, ad eum proculdubio rectà ferretur. Sed siue compositum, siue potiùs igneum cælum est, ex actionibus cognoscimus, id ab his imis esse longè diuersum. Et ideo dictum est à Peripateticis quinta quædam φύσις. Multò quidem tenuius & nobilius est his elementis: sed nos ad elementorum naturam redeamus. Secundũ Platonicos ignis forma Pyramis est. Aëris octaëdron, aquæ icosaëdron, terræ quadrantal. Cæli verò formam dodecaëdron esse putant: cæli inquam, non fortasis superioris cui sphæra maximè ampla & mobilis potiùs conuenit, sed huius ætheris qui per hãc naturam est diffusus, qui mutatione loci nouam figuram acquirat. Tot autem sunt in vniuersum corporatæ regulares, vt aiunt, figuræ, ex æqualibus lateribus planisque constitutæ, de quibus latè, & ad rem præsentem accommodatè in postremis elementorum libris Euclides tractat. Quanquam autẽ Proclus dicit Pythagoram & Platonẽ mathematicis, tanquam exemplis quibusdam tantum, vsum, tamen, quemadmodum ipse fatetur, talia quædam media mathematica sunt inter humana atque diuina, non tantùm quia mathematici formas à corporibus mente secernunt, & ad incorporearum formarum cognitionem ducunt, sed quòd corporata per huiusmodi media à diuinis esse digressa videatur. Ante mũdum nullum erat corpus, nec sine corpore aliquis locus. Cœpta tãdem e[?] extendi cũ materia & quãtitate corporea forma (nec refert si nõ esse factũ mundũ, sed fieri cõseruariq; eodem quo factus esset modo dicamus). Verùm quia latiùs degenerare non vnica dimensione, & quia ad suum principium redire debebat, propter ternarij vim, dimensione triplici est comprehẽsa. Nec obstat opinioni Platonis quod Aristoteles in libris de Cælo dicit. Non enim insectiles quantitates quæ nec leues nec graues sunt, sed minimas & naturales, vel potiùs, vt iam diximus, earum figurarũ corporatarum causas Plato ponit. Itaque verum est eiusmodi figuras diuidi non posse, sed falsum est quod Platonem ex incorporeis corpora componere dicit. Non enim minima mathematica, sed omnia naturalia potiùs intelligit: nec forma sola, sed cum materia grauitatem, hoc est, appetentiam inferioris loci facit. Non etiam figuræ, præsertim regulares, sunt infinitæ, quemadmodum Aristoteles arguit. Falsum est etiam quod ait omnem numerum pondere carere, cùm secundũ istos philosophos numeri quidam sint substantiæ rerum. Sed cùm figuræ solidæ planis constent, planorumque primũ omnium sit triangulum in quod omnes aliæ figuræ diuiduntur, cumque triangula spatia tota repleant, nihilque vacui relinquant, hi elementa rerum meritò dici posse videntur: ad rectum enim motum rectilineæ figuræ conueniebant, & primis corporibus primę. Sed quod paucissimus partibus constat

stat, id tenuissimum erit, maximeque mobile, idque ipsum est pyramis quatuor trigonis conclusa. Pauciora nanque recta plana corpus efficere nequeunt, curua verò & sphærica connectendis & comprehendendis rebus, non replendis spacijs, sunt accommodata. Pyramides verò minimis suis partibus maximè replent, minimumque vacui intromittunt. Crassissimus est cubus, cuius plana ex duobus compaginatis triangulis constant: adeoque maiores is partes habet, segniusque commouetur. Trianguli enim angulorum acumine magis penetrant, laterum angustijs citiùs mouentur. Pentagoni autem angulorum obtusitate sphæræque maiori similitudine faciliùs reuoluuntur. Sed quia magnarũ est partium terra, plures meatus continet, per quos facilè corpora tenuiora intromittit. Octaëdron octo æqualibus & æquilateris trigonis comprehensum, minus est eo, quod huiusmodi viginti trigonis constat. Ideoque illud aëri, hoc aquæ destinatur. Cubus sex quadratis est comprehensus: & lateribus angulisque planis refert harmonicam medietatem. Ex illis regularibus, adeoq; prioribus figuris, aliæ animantium, stirpium, & aliarum rerum fiunt. Certè cuncta corpora sua quadam dimensione constant, dimensio magnitudine, & etiam ex suis principijs magnitudo. Sed quoniam oportebat omnia corpora trifariam esse dimensa, non ex solis punctis, lineis, aut epipedis fieri poterant: sed ex epipedis in corporaturã coniunctis. Primum autem epipedon rectilineum trigonis est, & ideo corpora quæ recta mouentur, ex ijs fieri putat Plato. Ex trigonis inquam non quibusuis, sed ijs qui rectum angulum habent. Huius enim dignitas ex Proclo in Euclidem cognosci potest: & ideo Plato potiùs scalenos & isosceles triangulos sumpsit ad elementorum compositioné. Purissimum autem corpus rectilinium ex quatuor triangulis componitur: idque Pyramidem vocarunt. Ignis autem quoniam post cælum inter corpora monadem maximè refert, purissimus habetur. Sed impurissima terra, potiùs ex tetragonis fiet. Tetragoni fiunt ex trigonis in planam quadraturam concinnè coniunctis. Adeò ternio rebus omnibus placet, vt ne anguli quidẽ corporati nisi ex tribus saltem planis angulis confici possint: est enim hic numerus admodum diuinus. Rursus adeò corporibus quaternio cõuenit, vt nec pyramis vnquã nisi saltem ex quatuor epipedis fiat. Magna profectò ternionis atque quaternionis virtus est. Sed illa magis ad diuina, hæc potiùs pertinet ad corporata. Ex huiusmodi itaque figuris philosophi Platonici naturam construunt: quos quidem nullis corporeis oculis, sed tantùm oculis mentis cernamus. Natura verò multò videt acutiùs, quàm nos possimus ratiocinari. Partes igitur illas subtiles & argutas artificio miro conglutinat, quarum iusta compositionis moles nobis demum sensilis fiat.

nos

nos vtimur partibus maioribus, quas nobis ad cõstructionẽ operũ cõtinuò parat natura. Qui verò naturæ subtilitatẽ in coniungendis minimis corpusculis negligit, is quotidianis & euidentibus eius actionibus nõ cõmouetur: nam si vel sola rerũ incremẽta consideremus, cum adiectione cõtinua corpusculorum perficiatur, facilè cognoscemus esse nobis insensiles partes minimas naturæ. Si stirpes ac herbas per interualla longa temporum perpendamus, eas creuisse quidem videbimus, crescere verò nunquam cernemus. Sed magis sensus nostros fugiunt animantium incrementa, quæ longissimo tempore minimam mensuram acquirunt. Quid gemmæ, quanquam minimæ sint, & vt cætera crescant, plurimis annis eam tantillam magnitudinem assequuntur: quàm exiguas igitur necesse est fieri breuissimis temporum spatijs adiectiones. In multiplicis metalli massa nullum simplex cernimus, & singula tamen artificis industria facillimè separãtur. Idem in coloribus & in alijs rebus omnibus vsuuenit. Certè naturæ subtilitas non est his sensibus sed potiùs ratione discernenda. Sic igitur quæ sint corpora simplicia, ex quibus reliqua cuncta componuntur, ratio potiùs quàm sensus nobis demonstrauit. Nunc autem adhuc de quatuor elementis singulatim quædam dicemus: deinde de eorum compositione breuiter disputabimus. Ignis purus, tenuitate partium, & acumine formę, facilè citra sensum penetrare potest. At cùm materia crassiore coniunctus, quoniam penetrat & crassitiẽ diuidit, continuũ sensum diuidere & dolorem afferre consueuit: affectionemq́ue ipsam calorem appellamus. Et quia suapte virtute diuidit, diuellit, aliaq; in sui naturatã conuertit, præsertim aërem atque humorem, & ijs consumptis arida reliqua fiunt, hinc fit quod ignem etiam dicimus exiccare. Et ea quidem quæ sunt in motu ignem euidenter ostendunt: alia calorem continent adeò consopitum, vt nequaquam appareat, nisi nouo quodam motu excitetur. Sic piper, sinapi, nõ calefacient, nisi prius incalescant: atque hæc, potestate calida vacant, quod accedente motu calefacere possint. Igni terra cõtraria est, quatenus natura contrarium admittit. Is itaque maximè leuis & mobilis, supremum, amplissimum, & ad motum accommodatissimum locum possidet. Terra verò medium hunc angustum, nimirum immota sponte futura: debebat enim potius omnium vires cõcipere, quàm ipsa quicquã agere, debebat esse firmissimum corporeæ naturæ fundamentum, constat enim ex partibus crassis, compactis, quę difficiliùs mouẽtur, minimumq́ue diuidunt & penetrant. Affectionem igneæ contrariã, & vt ait Aristoteles, illius tanquam priuationem, frigus vocant. Sed quoniam ignis maximè diffunditur, minimeq́ue vel à se vel ab alio comprehenditur, terra vero cõpactis partibus, nõ tantùm ab alio, sed à sese facile cõtineri

potest.

potest, & quoniam etiam hanc vim propinquis rebus imprimit, ob id eam aridam appellant. Arena verò quanquam à sese non comprehendatur, iccirco terrea non est: non enim vt aqua continuò diffunditur, sed ignis virtute comminuta & humido continuante destituta separatim spargitur, singulæ tamen particulæ terræ conditionem seruant. Sed ex his quæ iam diximus facilè cognosci potest error multorum philosophorum, & Pythagoræ, qui duplicem terram hanc & firmamentum vtranque mobilem faciebāt, ignemque tanquam nobilissimum in medio collocabant. Medium enim est tanquam quoddam extremum, vt si lineam à centro ad firmamentum duci intelligamus, in qua quidem solis potiùs sphæram esse mediam deprehendemus, & ideo quidam eum immobilem esse iudicarunt: quanquam & hic à medio procul abest, si conferamus cum immenso summarum sphęrarum interuallo. Thales Milesius, inquit Aristoteles, terram in aqua natare iudicabat. Anaximander, Anaxagoras, Democritus, putabāt eam latitudine in aërem, qui transitum non haberet, incumbere. Anaximander quiescere dicebat, quòd nulla esset causa, cur id quod in medio esset, magis in hanc partem quàm in illam moueretur. Empedocles celeritate conuersionis cæli terram in medio vi contineri dicebat: sed Plato quadrata sua figura. Aristoteles autem sua grauitate eam in medio naturæ quiescere cēsebat, quam à forma sua tenet, cui medius conuenit locus: nam si grauitatis causam quæsiuerimus, singulas formas et figuras accōmodatis suis locis à natura distributas esse dicemus: ita priorē causam continebit sentētia Platonis. Terrę superior est aqua, quæ iam diffluit ac humectat: sed quoniā terræ proxima, etiam est obtusa ignis comparatione: quia tamen per poros quàm terra faciliùs imbibitur, vehementiùs refrigerare sentitur: teneriores enim habet partes, & eas tamen ad affectionem quàm actionem accommodatiores. Ideoque implet, mollit, in corpus diffunditur, & adherescit: ideoque humor ad incrementa rerum conducit. Fontes, fluuij, stagna, potissimum ex imbribus non oriuntur, quemadmodum nonnulli putant, sed quemadmodum aër in aquam vertitur & imbres, sic ex vapore intimo terræ, vi caloris ad supremam faciem sublato, & à frigore densato, perpetuæ fontium scaturigines erumpunt: sic etiam ex totis terræ visceribus mare effluit, tanquam terræ quidam sudor & excremētum, vt Aristoteles scriptum reliquit. Itaque salsum est etiam, tum propter admixtionē terræ, tum quòd in eo abluatur sulphur, alumen, aliaque, quæ quidē ignea principia continent, & reposita sunt in visceribus terræ. Vapor autem maris dulcis fit, relicto semper inferiùs terreo salso, quod facilè quidem attolli non potest: vnde secundum philosophos maris æternitas cognoscatur. Platonici Tartarum conceptaculum

culum aquę in medio mũdi fingũt, ex quo deriuetur Acheron in meridiem, quo curæ sceleratæ purgentur, Phlegethon in orientem, qui cupiditates & iras abluat, Stix & Cocitus in occidentem & arctum, extinguẽtes odium atq; luctum. Tartarũ autẽ dicũt inferni mediũ, in quo peccata in habitum conuersa pœnitentiam fugiant, sceleratique non medicinæ, sed exempli causa puniuntur. Sed hæc aliam explicationem requirunt. Aër inter aquam & ignem latè diffusus est: hic autem infimus, in quo nos viuimus est tanquam terræ quidam vapor. Itaque credibile videri potest, quod ait Aristoteles, hominem aëre solo vixisse. Quamuis autem tenuium partiũ aër est, minus tamen quàm ignis, & ideo penetrat obtusiùs, minusque diuellit, vitalemque sibi proximum spiritum recreat, qui alioqui calore facilè consumeretur. Cùm autem ignis rebus insitus semper sursum promptè feratur, rapiatque secum proximos etiam vapores, nisi continenter ex humido nouos generaret, & ipse spacia repleret, iacturamque restitueret, quæ calorem euidentem continent, omnia statim proculdubio sint interitura: sed cuncta permeat atque resarcit aër, per omnia facilè tenuitate partium diffunditur, & hinc est quòd etiam humidus habeatur. Non enim vt ignis cõsumit, sed implet, penetrat, nec tã violẽter rapitur sursum, sed est tanquã medię cuiusdã naturę, & ad omnia replẽda factus. Cùm autem materiam cõiũctam non rapiat sursum, nec diuidat corpora, nescio cur calidus debuerit appellari, nisi fortassis summus, propter motum propinqui cæli, infimus propter densitudinem cælestium radiorum. non tamen frigidus est, cùm ad naturam & locum ignis accedat. Sed medius aër, propter parastasim caloris refrigeratur, vt ex cacuminibus arduorum montium, ac ijs quę in aëre medio fiũt cognosci potest. Ex his igitur seu quatuor seu quinque simplicibus corporibus, omnia componuntur: quæ quidẽ simplicia potius ratione quàm sensu percipiuntur. Omnia enim hîc composita sunt, compositis nostris sensibus accommodata, quemadmodum anteà dicebamus: alioqui inquit Galenus, terra & aqua adamãtis aut cristalli instar cernerẽtur, si prorsus omni calore mollitieque carerent. Hæc igitur elementa quibus nos fruimur etiam quodammodo composita sunt: multo tamen magis reliqua corpora, quæ ex ijs fiũt. Quomodo verò sint in his compositis elementa quæri solet. Peripatetici quidam dicunt in vnius massæ naturam elementa confundi: vires tamen eorum interim proprias operationes exercere. Verùm isti fortassis sensu iudicant, quo quidem non tam percipimus in compositis partes, quàm vires elementorum. Quapropter si mixta vocãt quæ sensu nequeunt discerni, dicunt idem quod ij qui minimis particulis elemẽta tantùm componi putant, nunquam verò penitus confundi. Sed existimant hi posteriores dum simplicia

plicia

plicia corpora miscētur, vt aqua, mel, acetum in oximel, minimis quidem particulis omnia diuidi, simplices tamen atomos naturales non interire. Ita peragi vicissitudinem rerum omnium ex ijsdem, non autem ex subinde mutatis elementis. Nam si perirēt, inquiunt, cùm composita dissoluuntur in elementa, hęc orirentur rursus ex alijs, quæ quidem alia nomen elementorum mererentur. Non vident ex compositis quomodo simplicia fiant, si prius hæc in illis non fuerunt: nam alioqui materia formaq; simplicium non videtur ex compositis nasci posse. Itaque Plato quibusdam ἀόρατοις γόμφοις, hoc est, inconspectis clauiculis omnia contineri dicit, omnia hæc intelligi debere adeò parua, vt per singula generis cuiusq; propter tenuitatem nullum cōspicuum fiat. Certè si penitus elementa misceri dicamus, necessarium est, ni fallor, vt infinitam quandam diuisionem admittamus, ac etiam per indiuidua puncta confundi cuncta fateamur. dicent materiam quandam fieri communem, vires autem diuersorum in eam omnino misceri: sed non video quomodo diuersæ vires in ijsdem punctis & substantijs simul firmiter tanquam in suis causis & fundamentis residere possint: nam quod de potentia dicitur, non adeò magni momenti est: quæ tantum potestate sunt, verè quidem non sunt, esse tamen possunt. Opus est autem ad naturam rerum veritate. Videmus omnia tam à natura quàm artificio composita facilè separari, videmus à medicis in mixtis omnibus multiplicem substantiam deprehēdi: quæ quidem adeò non sit vna, vt etiam diuersis temporibus operetur. Certè contraria sese semper excludunt, nec possunt in ijsdem atomis cohabitare. Quod autem dici posset nihil planè continuum fore, si non elementa penitus commisceantur, facilè solui potest: nam cùm ea dicantur continua quorum extrema sunt vnum, si illud vnum punctum mathematicum est, id non est in natura rerum. Hęc enim non tam arctam coniunctionem admittit, vt in vnum eius generis atomum duo coire possint: si est atomum physicum, rursus non erit ipsum commixtum: constaret enim ex pluribus. At hæc minima, cùm extremis careant, quanquam commisceri videantur, verè tantùm componuntur: continuanturque corpora potiùs per formam, quæ monadis similitudinem præcipuè gerit, quàm per punctorum coniunctionē, quæ magis ad materiam pertinet. Inter proximos autem atomos physicos nullum vel vacuum vel corpus medium est, tametsi mathematica puncta cogitari possint infinita. Nam si corpus aliquod aut vacuum esset intermedium, non essent puncta proxima, nec etiam essent cōiuncta. Mathematicis autem conceditur fingere quæ verè non sunt, ad exactiorem suorum theorematum demonstrationem. Componuntur itaque veriùs secundum sententiā hanc minimæ partes naturæ, quàm vt penitus commisceantur.

tur. nam etiam forma materiaque componi dicuntur, quæ quidem magis inter se coniunctæ sunt, quàm sit in corporibus ignis coniũctus cum terra. Si tamen quis hanc insensilem compositionem mixtionem velit appellare, potiùs de nomine quàm de re suscepta fuerit controuersia. Sed, cùm elementa contraria sint, agant & afficiantur, esse non possunt æterna: quapropter quidam philosophi, ne fateri cogerẽtur in eodem atomo duas esse contrarias qualitates, iudicarunt quoddam medium ex duobus fieri contrarijs, quemadmodum ex albo nigroq; reliqui colores, non quòd contrarium quodque suam essentiam seruet, sed quòd pro aptitudine sua agentisque vi, transeat in remissam naturam: nã si vnũ elementũ in aliud transmutatur, cur nõ priùs propria qualitas in medium aliquod peruenire potest. Sed huius authores sententiæ negare nequeũt, quin liceat etiam elementis incorruptis in compositis esse. Partim autem ex simplicibus, partim ex medijs quibusdam composita constare, certis quibusdam analogijs coniunctis, non fuerit alienum à ratione. Id autem quod ea coniungit in vnum, est ea forma quam ὀυσιώδη vocant, summæ monadis character: ita diuersa corpora non confunduntur, sed tantum diuersorum corporum vires. Quòd si dicant diuersas formas substantiales in eodẽ non debere versari, respondebo semper à præcipuo denominationem solitam esse desumi, non posse verò duas esse pariter dominas eiusdem, sed eiusdem dominę multas ancillas, quę tãtum eius imperio obsequantur, & tanquam sint rerum gerendarum instrumenta, cùm interim omnia sint in illius vnius potestate: sic nerui, manus, pedes, suam quoq; formam habent. Et in nobis quidam philosophi tres animas collocarunt, cùm vna forma sit humana. Sed hæc aliam considerationem requirũt. Necessariũ autem est vt prouidentiæ particeps sit: quod in vnum diuersissimas naturæ partes tam cõcinnè coniũgit, nam quomodo tam exactis analogijs ignis cum terra reliquáue cum reliquis alioqui conuenirent, ad vsum illius quod compositionem comprehendit atque gubernat, quomodo ad certos suos fines omnia tenderent, si non gubernatrix vis eos omnes haberet antè perspectos: ideo philosophi mentes rectrices, quas intelligentias appellant, mundi partibus, pręsertim cælestibus, præficiũt, quę corporibus æthereis, tanquam accommodatissimis instrumentis vtantur, quorum motu situque, redigantur hæc in iustos numeros vniuersitatis. Alij dicunt solum diuinæ voluntatis vim per totam rerum naturam diffusam, hæc omnia præstare. Certè dubiũ esse nequit, quin omnia plena sint prouidẽtia Dei, dubiũ etiam esse nequit, quin æthera regio in hanc naturam obtineat longè principatum, cuius potestas, & maxima quidem, etiam ad infimas naturæ partes se extendat, à qua creditum est in medijs mundi angustijs vehemen-

hementissimum accendi calorem, quod omnes radij planè constringantur in vnum locum: nam quòd terrę viscera calida sint, ex cõtinuo vaporum ascensu, Aetnę, Vesuuij flammis, & ex alijs multis argumẽtis est manifestum. Aiunt etiam Chymici, plurimum ibi sulphuris & argenti viui contineri, ex quibus omnia metalla producantur: quòd in his illorum indicia manifesta deprehendant: certè in elementorum violento concursu, eiusmodi quædam est necesse prouenire, quæ vel ad hoc, vel ad aliud extremum accedant. In hydrargiro sunt partes terrestres cum aqueis vehementissimè commixtæ, in sulphure verò partes igneæ & aereæ sunt plures. Sed hæc, vt diximus, citra prouidentiam non fiunt. Vi caloris & diuersis corporum cælestium analogijs ex intimis terræ visceribus diuersi vapores attollũtur ad diuersam rerum & procreationem & augmentum, qui partim in terra superiore concrescunt in lapides & metalla, ea differentia, quam materia præparata secum affert, quæ semper accommodatam formam secum habet: itaq; nituntur Chymici talem reddere materiam, quæ sit apta formæ melioris metalli, dum eam aptis ignibus, locis & cælo, nunc in vapores attollunt, quo pingues sordes expirent & densæ resideant, nunc in puluerẽ comminuũt, & abstergentissimis medicamentis omnẽ immunditiem tollunt, nunc in liquorem dissoluunt, & nobilioris metalli nitidissimum succum admiscent. Ita tandem ea materia tanto artificio laboreque præparata, concipere potest eos cæli radios, quibus in melioris formæ massam commutetur, quemadmodum latiùs ab harum rerum magistris est explicatum. In superficie terræ, herbæ, stirpes & animantia nascuntur atque crescunt, certis elementorum analogijs: nam, vt diximus, in accommodata materia statim forma, quam substantialem vocant, cælitus adest, & similibus elementorum analogijs accedentibus suum incrementum sumit: cùm enim hæ quoque suam magnitudinem habeant, necesse est, totã molem reddi maiorem, & in eam, formam eandem sese latiùs extendere. Cùm autem simile debeat fieri quod accedit, oportet vt mutetur, & cùm formã suam diuersam habeat, hęc priùs corrumpatur quàm formã eius quod augetur acquirat: quoniam duæ formæ substantiales pariter in eodem esse non possunt. Differt autem incrementum à generatione, quòd in hac noua forma accedens decedentem materia tanquam loco suo expellat. Necesse est enim formas corporatas extendere se per aliquam dimensionem, & omnem dimensionem aliqua forma plenam esse. In incremẽto noua non accedit, sed antiqua per nouam etiam materiam accedentem, quæ formam suã iam amisit, latiùs sese extendit. Adiungit autem sibi materiam forma quæ augetur, & ex ea formam priorem depellit. Augetur autem, quatenus ea materia necessario magnitudinẽ secum defert.

fert. Itaque deficiente vi formæ vel materia, cessat incrementum, & in eius locum decremẽtum succedit: medium etiam inter materiam atq; formam in vtramque partem plurimum valet. quamuis enim ea natura rerum sit, vt propter summam monadis vim, in vnum similia trahantur, esse tamen impedimenta vel plura vel pauciora solent: ita mollia faciliùs crescere, & etiam faciliùs diminui videmus, propter facilem transitum actionis & affectionis. Sed horum omnium rationes sunt alterius loci. Nunc de ijs quæ terrę non hærẽt, sed in aêrem sublimem feruntur dicamus. Continenter vi caloris liquidæ partes in mediam aêris regionem attolluntur, quæ frigore eius loci separantur à partibus aëreis & igneis, & in rorem, pruinam, grandinem aut niuem concrescunt, suoq́ue pondere confestim deorsum feruntur. Interdũ etiam vapor frigore densior factus in aquam conuerti solet. Is etiam in aëre subinde solis oppositam lucem varijs modis concipit, & sua cauitate multicoloris arcus formam nobis reddit, quem nos Iridẽ appellamus. Frequenter siccior est materia quæ attollitur, quàm vt in aquam facilè concrescat, & instabilior quàm vt quiescere sciat, prętertim cùm frigore circũstante huc & illuc protrudatur: hinc aêris fluctus, quos ventos nuncupamus. Hi à diuerso mundi positu suas differentias sortiuntur. qui ab ortu flant, nimirum inter calorem & frigus, nobis sunt bene temperati. Solent etiam esse sereni, quoniam secundum cæli motum feruntur, nisi à locis humentioribus spirent. Id enim in vniuersum tenendum est, quod ex humidioribus regionibus plures semper vapores attolluntur, quos motus aêris secum defert: ita è mari atque paludibus perpetuò veniũt magis pluuij venti, ex arentibus plagis sereni: rursus ex calidis nubili, quòd anteà cogi non potuerint in pluuiam, quàm frigus fuerint adepti, à frigidis autem aperti, quòd priùs frigiditate loci per quem veniunt fuerint expurgati: sic aquilones potiùs serenos quàm pluuios esse videmus. Cæli quoq; virtus plurimum affert momenti. Nam cùm radiorum cælestium vi sursum vapores attollantur & fumi, necessàrium est vt illorum conditiones hi sequantur, & consentanea propensitudine vel in hanc vel in illam partem vergant. Sed ex ijs quæ iam diximus manifestum esse potest, meridianos ventos potiùs esse calidos & humidos, aquilonios autem frigidos atq; siccos: occidui magis tepidi sunt & humidi, quàm ij qui ab ortu veniũt: quoniam feruntur contra motũ cæli, vnde fit vt magis in vnum cogant, & ad procreationem rerum conducant. Tonitrui terribilis fragor & fulminis ineuitabilis potestas ingruit, dum ab ambiente frigida constrictaq; nube medius ignis magna vi compulsus per tenerrimam nubis partem erumpit, & instar machinarum bellicarũ ingentes flammas cum horrendo sonitu vibrat. quòd nisi partes nubium superiores fer-

fermè magis tenues essent quàm inferiores, quę terram spectant, omnia frequentibus fulminibus prosternerentur. Fulmen enim ea quæ densa sunt potenter euertit: sed quæ minus densa sunt, cùm tenuissimum sit, facilè penetrat, & ita dolio nō læso liquorē exhaurit, gladiūq; rumpit non tacta vagina. Interdum autē etiam terrestres partes attolluntur & ita commiscentur, quemadmodum in hac ima regione fieri solet, ad rerum procreationem. Ita legimus lanas, sanguinē, triticum, animantia, nec non alia multa nonnunquam eius generis pluisse, quod nimirū causæ consentaneæ cum aptitudine materiæ in eiusmodi compositionem conuenirent. Quanquam, cùm non tantùm efficiens & materia, sed aliæ multæ locorum aliorumque circūstantiæ requirātur ad generationem, eas in aëre bene conuenire admodum difficile videtur. Difficultas autem omnis & magnas causas & effectus similes habeat est necesse. Flatus autem in cæcis terræ cauernis conclusus vi nonnunquam exitum sibi quærit, præsertim si in vnum adauctus vel calescens & amplior redditus, loco suo non possit esse contentus: nam singulę magnitudines suas locorū pares dimensiones postulant, & maius redditum quodque maiorem locum requirit: ita fit vt flatus nimium arctatus magnam terræ portionē interdum concutiat: idque nos terræmotum appellamus. Cùm autem vētus nihil aliud quam impulsus aër sit & hic impellatur ab alio locum sibi quęrente, manifestum est quod tempore terræmotus, quo in telluris cauitatibus multum venti continetur, liberum locum aëris superioris adeoque tranquillum esse, & ita cum ventis terræmotus coniungi non solet. Sed vapores interdum in aëra supremum attolluntur, continuoque transitu, dum crassiora discutiuntur & deorsum sidunt, expurgata cælestique puritati iam proxima, lucem etiam concipiunt, & crinis, teli, vel alterius alicuius figuram nobis ostendunt. Oportet autem insolitam esse causam cælestem, quæ rarum effectum producat. Itaque cùm nouum aliquid & magnum accidisse scimus, statim eximiam & inusitatam eius fuisse causam intelligimus, quam alia quoq; debeant effecta comitari, quòd omnia sint in rerum natura coniuncta, magnęque causæ non ad vnam tantùm, sed etiam ad alias & quidem ad præcipuas maximè sese partes extēdāt, vnde fiat, vt alterum ad alterius cognati motum feratur. Nouam igitur ætheris potētiam multę rerum mutationes necessariò consequūtur: vt autem cognoscamus quid potissimum sit expectandum & quibus hominibus immineat, oportet vt causarum nec non signorum positionem in cęlo & in finitore, deinde figuram, colorē & alias circumstantias naturamque omnem diligēter consideremus. Sed hęc sunt alterius loci.

Mag-

Magna graues monſtrant necnon noua ſigna parari
Inſolitos rerum motus. ſed cuncta cohærent
Inuicta ſerie, cauſáque frequenter ab vna
Plurima proueniunt, variosq́ue agnoſcere caſus
Ex vno liceat ſigno: ſic regna cometæ,
Quas facit inſoliti mundi præſaga poteſtas,
Mutant, & ſteriles poſſunt producere ventos.
Eſt opus è proprijs ſignis cognoſcere cauſas,
Vosq́ue procul variòs rerum diſcernere fines.
Sed tempeſtates prædicere poſſe futuras
Magnum eſt. has multis ſolita eſt oſtendere ſignis
Natura. Occaſu rutilus ſòl ſæpe ſerenus
Exoritur, grata volucres quem voce ſalutant.
Concauus eſt index hyemis: nam nube coruſca
Cingitur, atque intus medium vapor obſidet ater.
Sic pictor longas cupiens formare cauernas,
Fuſca interna facit, niueóque externa colore
Obducit, ſpacium referant quod nigra remotum.
Sed quando rutilo induitur diademate Phœbus,
Aut vbi diuiſam lucem per nubila fundit,
Inde & terribiles ventos portendit & hymbres,
Ni paucus tenues vapor euaneſcat in auras.
Denſa grauem pluuiam ſemper denunciat Iris.
Signa quoque horrendi ſunt certa parelia cæli.
Tunc priùs alta ſonant, veluti mare, culmina terræ,
Et Diomedeæ repetunt loca ſicca volucres,

Vnda.

Vndarum cupidi properant ad littora mergi,
Atq; anates ſub tecta volant, graculiq; loquaces.
Quædam etiam volucres gratis verſantur in vndis:
Dum liceat, ſtudium cupiunt explere natandi,
Gnaræ ventorum tempeſtatiſque futuræ:
Nonnullæ gratos expectant cantibus imbres.
Tumque cutem gelidæ muſcæ conamine magno
Pungunt, & calidos ſuccos in frigora ſugunt:
Atque trahit patulis multas bos naribus auras,
Deſtituuntq; ſuæ vermes pia viſcera matris.
Phœbe etiam ſignis commonſtrat tempora certis.
Æthera ſignificat fuerit ſi candida clarum,
Rubraque ventoſis lucem obſcureſcere fumis,
Pallens in pluuias cælum denſeſcere nubes:
Si ſit acuta hyemes monſtrat Zephyrosq; feroces.
Namque trahunt validi venti quoque cornua lunæ:
Atq; hæc inflectit ſiccus calor, vnde trahuntur
Nubes, quæ noctes poſſint turbare ſequentes.
Si fuerit rutilo circlo circumdata Phœbe,
Indicat horribiles ventorum inſtare procellas:
Areaq;, exiguo ni ſit conſumpta calore.
At tempeſtates æſtiuo tempore fulgur
Præcurrit: ſed quando cadunt ex æthere ſtellæ,
Significant hyemes ſemper: tunc flamma vapores
Eructat, ſeroque ardent humentia ligna.
Ignis ſe inflectit denſius, tripodeſque relucent

Scintillis, magno vincuntur frigore prunæ.
At quoties milio obducuntur elychnia, densa
Frigora significant fermè, pluuiasque, niuesque.
At pruna exteriùs si candeat omnis, & intus
Sit nigra, insignes portendit grandinis ictus.
His tempestates alijsque agnoscere signis
Natura, & reliquas voluit vos discere vires,
Difficilem minus vt poßitis ducere vitam.

Diuinationum plurima genera recensentur. προφητεία, cum sanctis viris cælitus euentus rerum demonstrantur, qua quidem nihil certiùs est, siquidem Deus sua potestate cuncta comprehendit, nec aliquem vnquam fallere cupit. Ab hac diuersissimi sunt χρησμοί, quæque θεομάντεια nuncupatur, dum cacodæmones perditorum hominum interrogatis ex antris per statuas aut homines scelesti spiritu turgentes respondent. Quamuis autē cacodæmones hominibus astutiores multa sciāt, quæ nobis sunt ignota, tamen cùm fraudulentissimi sint, eorum responsis nulla fides est adhibēda. Deinde diuina voluntas illis est etiam ignota, cùm nullam causarum necessitatē sequatur, sed ipsa cūctorum libera sit effectrix causa. μάγεια præstigias quasdā inanes continet, quibus induci dæmones ad aliquid conficiendum putantur. νεκυομάντεια manes defunctorum ex orco euocat. λεκανομάντεια pelui vtebatur aqua plena characteribusque verbisq; certo modo compositis, quibus exilis quædam dæmonis vox extorqueretur. γαστρομάντεια in vitra limphis purissimis plena dæmonas pueris conspicuos conuocabat. κατοπτρομάντεια in specula, ὀνυομάντεια in vngues oleo perunctos. ὑδρομάντεια aqua cyathum implet pronūciatisque verbis si vera fuerint, annulus suspensus, proprio motu cyathum, vt aiūt, attingit. ἐπῳδοί etiam, hoc est, incantationes, huius generis sunt: hæ solis verbis & characteribus mira præstare posse putantur. φαρμακευταί verò ad alios lædendos tantum arte sua vtuntur. κοσκινομάντεια & ἀξινομάντεια scelerum authores detegunt, dum securi palo infixa, aut cribro forcipi imposito, pronunciatisq; nominibus eorum, de quibus est suspicio, securis aut cribrum audito, scilicet, nomine scelerati tremit. ἱεροσκοπία circa ea quę accidebant in sacrificijs erat occupata, cui accedit ἡπατοσκοπία, quam ex-

tispici-

tispicinam vocāt, & πυρομαντεια, καπνομαντεια, λιβανομαντεια, οἰνομαντεια, ὑδρομαντεια, κριθομάντεια καὶ ἀλευρομαντεια, & etiam ἰχθυομαντεια. Ita singula quæ fierent in sacrificijs summa cum reuerentia considerabant, & ex differentijs eorum quæ acciderent, de rebus prosperis & aduersis iudicabāt, quòd omnia numinibus plena diuersisque rebus diuersa præfecta crederent, quæ si ritè vocarentur, ex officio suo mortalibus rerum dubiarum euentus significarent: non enim hominibus, veritate religionis destitutis, cacodæmonis imposturæ satis erant perspectæ. Similis erat diuinatio, quæ ex auium volatu garrritúue reliquisq; animantibus fiebat, & ijs quæ domi vel foris inusitata incidebant. Magis adhuc est vana κληρομαντεια, γεωμαντεια, ἀριθμαντεια, reliquæque generis eiusdem. Omnes tamen inde suam originem habuisse videntur, quòd omnia etiam minima quæque serie quadam causarum ineuitabili contineri putarentur, incorporea corporeaque, & hæc etiam cum illis ita nihil temerè fieri, sed à certis omnia causis, & ad certos fines, & ab incorporeis viribus omnia corpora gubernari. Quorundam autem finē esse solā futurorū cognitionē, quæ, cùm ab hominibus ignoretur, ostēdatur ab ijs, qui sapiētiores sunt, & cū hominibus in eā cōspirant, idque accommodatis quibusdam instrumentis. Quod autem sine causa sua nihil fiat, facilè quidem illis admittemus: sed duplicem esse causam dicemus, aliam voluntariam, aliam autem naturalem: illa verò libera est, hæc nisi quid impediat semper suū profert effectū. Est autem liberrima prima causa, cui cuncta debemus, ideoque causam qua diuina voluntas cogatur, quærere non possumus. Hæc instituit hunc ordinem vniuersitatis, & singulis eius partibus suas vires dedit. Sed tamen interim liberum suum imperiū retinuit, quo noua nonnunquam fiūt, & quæ fierent etiam impediuntur. Libera quoque mentium incorporearum est natura, quæ naturæ reliquæ motū vel promouet vel remoratur, & hæc rursus est subiecta liberę potestati Dei: ita multiplex hinc oritur difficultas cognoscendarum rerum futurarum. Non enim scimus quid mentes facturæ sint, in quorum numerum etiam homines recenseo: deinde nescimus quomodo Deus sit eas incitaturus aut impediturus. Nescimus etiā quid facturus sit Deus de reliqua natura. Quandoq; noua quædā & insolita fieri iubet, veluti sisti motū solis, quandoque dæmonas suæ voluntati relinquit, sæpius non sinit eos in hominum perniciem ferri: & etiam si cogitatione liberam naturam de medio tollamus, causæ pleræque rerum magis argutæ sunt, quàm vt à nobis possint cognosci, nec illi fideles magistri sunt, à quibus esse potuerint harum artium professores edocti: ob has & alias causas hisce præstigijs, nihil est omnino fidei adhibendum, nisi non tantum stulti, sed & impij velimus haberi: siquidem manifestis authoritatibus scripturæ

pturæ videmus interdicta. Sed nos iam ad alias physicas diuinationes accedamus, in quas tamen etiam multum superstitionis irrepsit. Quoniam autem diuinationes sumuntur ex signis, hæc vel in simplicibus corporibus sunt, vel in mixtis. Simplicia voco cælū & elementa, mixta animantia, herbas, & reliqua generis eiusdem, quæ componuntur ex elementis. De signis autem cælestibus alibi dicemus. Quamuis ignem purum in sua sphæra nullo sensu percipiamus, nam visui peruius non est, & reliqui sensus ad eū sese non extendunt, híc inferius tamen eius ingens deprehendimus nonnunquam incrementum. Est autem probabile eum à simili quadam cælesti causa procreari, cuius virtute sit dimensus. Incrementum ignis in corporibus humanis omnes ardentes morbi sequuntur, in alijs id quod ardentibus morbis analogia respondet, idque potiùs in ijs quorum naturæ calor minus consentit: naturam autem intelligo quàm optimè constitutam, nam ab ea quæ declinant in contrarium, calore nō mediocriter iuuari, vel saltem non perinde lædi scio. Ita faciliùs quàm iuuenes eum tollerant senes, & potiùs Aethiopes, quàm qui frigidas incolunt regiones: sic igitur intelligemus, quibus feruores magis sint infesti. In animis autem afferēt vehementes & repentinos motus, siquidem hi corporis temperaturam sequuntur, quemadmodum medici dicūt. calor etiam aëris incremento conducit, dum in hunc aquæ tenuiores partes continuò conuertit: vnde fit vt aër compressus & in angustiorem locum constrictus quem velit, in flatus efferatur, & in eam mundi partem incumbat, qua facilior illi via patet, hoc est, qua proximus aër est illi cedere maximè paratus. Est autem paratissimus is qui tenuior, & qui est aptior vt in aquem concrescat. aëris motum & aliarum rerum motus consequitur, vnde purgatiora cuncta fiunt: ocio namque torporeque cuncta putrescere corrumpiq; videmus; sed nimius aëris motus & incrementum omnia flatibus implet, totamq; rerū naturā exagitat, vnde proueniant etiam vehemētes rerum humanarum perturbationes: quoniā, vt diximus, causæ consentaneæ sunt, & vnum motum alius comitatur. At quoniam aër compressus locum sibi quærit, non cessabit eius impetus, donec vel ignis in aërem, vel aër in aquam, vel aqua in terram conuertatur, vel aër qui calore tenuior est, frigore densior fiat. Sic enim elementorum corporatura fit minor, & ita loco suo potest contineri: sed aër in aquam potiùs mutari solet: horum enim elementorum alterum alterius naturam facilè admittit: itaque post vehementem impetum ventorum pluuiam fermè sequi videmus. Pluuijs autem nimium auctis corpora plus quàm par sit humectantur. Hinc similes morbi proueniunt, putredinesque, præsertim si calor coniunctus sit, ocium, ignauia, torpor. Terra difficilè mutatur, quoniam dissimiles à reliquis ele-

mentis triangulos, reliqua tria similes habẽt, quemadmodũ Plato scribit, aut etiã quòd eius quadrata sit figura: quapropter non immeritò Iouis turrim & custodiam eam appellarunt. Iam ex ijs quæ constant ex elementis signa multa sumuntur: in aêre supremo cometarum horrendus aspectus gignitur, qui portendere maximas res putatur. Sed de cometarum origine non omnes eodẽ modo sentiunt: quidam enim nihil aliud quàm reflexa lumina stellarum esse iudicant, plerique verò potiùs ignes accensos. Materiam eorum pingues vapores esse dicunt, qui in eam vsque mũdi regionem ferantur, cùm tamen verisimile non sit, eos tam altè posse attolli: nam paucos ad fastigia summa maximorum montium videmus peruenire: nec etiam est probabile nouam similemque materiam continuò substitui eius loco, quam ignis ardens continuò depascit. Videmus enim in aêre inferiore etiam eius generis ignes accendi, qui, cùm tamen habeant materiam paratiorem, non longo tempore conseruentur: quanquam nec hos ignes esse videri potest, sed lumina potiùs, cùm vehementiùs splendeant, nec perinde comburant. Certè cometarum materia potiùs fuerit concretus ignis vel aêr, qui splendorẽ etiã accipiat à vicino cælo, quàm vt ex his imis partibus, superioribus flammis cõtinuò pinguis vapor suppeditetur: concretus autem ignis, vti cælum densius, necessarium est vt splendorem acquirat: nam in hac densa materia, quamuis turbida, suam lucem reddit. Necessarium est etiam vt aêr superior concretus calorem & splendorem ab igne vicino sumat, vel potiùs vt vel hic, vel ille lucem accipiat è cælo, cùm ad materiam accommodatam forma consentanea semper accedat. Potest enim hæc materia multum ætheris per vniuersam elementorum regionem diffusi continere, qui cum aêre vel igne concretus similem faciem assumat: in his enim cæli partibus potiùs quàm in alijs nasci cometas, & cum his quàm cum alijs stellis videmus eos magis conuenire. Ita non est mirum quòd semper magnum aliquid portendant: nam illæ superiores & puriores elemẽtorum partes obnoxiæ mutationi non sunt, nisi vires sint insignes, quæ cùm se latissimè extendant, aliorum multorum & magnorum operum sint effectrices: quorum autem operum sint effectrices stellarũ consideratio demonstrat. Deinde noster hic æther in superiorem elementorum regionem conuocatus, hanc inferiorem destituit, cuius defectu non possint hæc in suo statu se conseruare. quid quod cometæ tanquam noua sidera nouarum rerũ etiam sunt effectores: & etiam in signa, quemadmodum reliqua sidera, nobis proponi videntur. Si verò vapor accensus, vel alia materia sit, eadem significationis ratio manebit: nam à simili causa cælesti suam originem habebit, quæ maxima vi materiam ex imis partibus in summas attollat, & in eam naturam efformet. In

aêre medio frequentia fulgura, fulmina, tonitrua, ignes auctos significant, qui vel ex his partibus illinc compelluntur, vel constrictis intra nubes solis radijs ibi gignuntur. Frequentes nubes inferiorem calorem & superius frigus ostẽdunt: illo vapor sursum attollitur, hoc constringitur in nubes, ex vtriusque verò potestate cognoscemus effecta: sed vapores in aêre varij diuersam etiam concipiunt lucem, tenuiores candidiorem, densiores magis obscuram. Cùm autem obscuriora longiùs distare videantur, hinc est quòd concauitas solis ab eo densos vapores trahi ostendat, qui tempestatum sint effectores: itidem si diffundat in circulum radios aut in turbinem. In aquea namque materia multiplicantur & distrahuntur. Irides etiam & parelia denunciant tempestatem: fiunt enim reflexo lumine solis: reflectitur autem obiectis vaporibus, maximè verò densis: sed qui consumuntur vapores serenitatem indicãt: nã huius causa superiorem obtinet potestatẽ, quæ pluuiæ non magnam materiam consumere poßit. Quoniam vero nos nõ stellas per tãta interualla, sed lucem earum cernimus, accommodatis, hoc est superioribus, elementorum partibus impressam, quę cum subiecto suo pariter mutetur, hinc est quòd aëris constitutionem lux stellarum nobis ostendat. Itaque si luna candida sit, serenitatem futuram coniectamus, quòd vaporibus interpositis non obscuretur, si verò rubicũda ventos: calida namque siccaque materia igneo colore tingere solet: si pallida pluuias, oppresso scilicet lumine copia vaporum. Acuminata nimis luna ventos superiores indicat ab eius parte conuexa flantes, qui extendant eum aêrem in quo cornua sunt expressa: similiter si fuerit inflexa, calorem enim siccum indicat, qui multos vapores & fumos attollat. Circulus lunæ, quemadmodum & solis, iam adesse vapores significat, vt etiam duæ lunæ. Stellæ quoq; cadẽtes pluuias portendunt & ventos in eam partem in quam feruntur: aêrem enim qui lucem stellarum concipit concrescere demonstrant, vt etiam ignes illi quos Helenas, Castores & Polluces appellãt. Omnia verò quæ sunt eius generis conueniunt aliquo modo cum cometis. verùm non tantum ea quę sunt in aêre, sed & alia multa nobis præbent rerum futurarum cognitionem, quæ fermè constitutionem temporum imitantur. pluuijs imminentibus ligna, quoniam humida sunt, difficilè ardẽt, & accensa vapores frequentes eructant, ignis inflectitur, circũfluo crasso aêre impeditus: prunæ, à frigore circũstante deuicto calore, cinere statim teguntur, aut intus etiam obscuræ sunt, humore crasso calori resistente: tripodes scintillis obducuntur, propter fuliginis abundantiam. Hęc à rebus ignitis & alia multa signa tempestatum sunt, quæ non possunt hîc omnia recenseri. Herbæ quoque & arbores præbent indicia quædam tempestatum, quæ, sentientes futuram hyemẽ, tanquam inhorrescũt, in edi-

in editis montibus nemora mugiunt, cùm incipiat à locis altioribus motus, acanthæ lanugo reliquorumq; multorũ leui vi per aërẽ raptatur, statim incipiente perturbatione. Quinetiam ab animantibus brutis indicia plurima sumuntur. Hæc autem magis quàm homines motu naturæ feruntur, & eius instinctu concipiũt species boni vel mali, quæ natiua quadam vi statim incitant ad prosequendum & fugiendũ. Spiritus tenuissimus, qui cũcta penetrat, naturæ motu primum agitatur, eumq; non tam sentiunt homines, negocijs volũtarijs distracti, quamuis per rationem, qui sunt inter eos sapientiores, ex alijs rebus plurima cognoscant, præsertim ijs quæ sensum aliquem habent, boni vel mali. Delphini lasciuiunt & secundum imminẽtem ventum feruntur, tanquam fugientes tempestatem. conchæ firmant se contra fluctus. ranæ pluuiam amicam plus solito vocant. Humore crescente pruritus in animantium corporibus excitatur: hinc est quòd aues plumas expurgent, alia corpus fricent & cornua quatiant. Aues aquaticæ in tutum se recipiunt, prius tamen se natationis voluptate satiantes. Corui difficilè latrãt, tanquam spiritu suffocato. Anseres clangunt insolentiùs. Ardea tristis est, cui sit nimirum ex aqua petendum alimentum. Boues refrigerium magno conatu trahunt. Sues paleis siccis mordicus apprehensis delectantur. Vermes è terra erumpunt, liberiorem aërem captantes. Sed hæc exempli loco dixisse sit satis, ex quibus facilè cognoscere licet quanta sit rerum συμπαθεία καὶ ἀντιπαθεία qua sint inter se miris modis omnia connexa. Hac magnes ferrum ad polum trahit, sol quasdam herbas circũducit, sub his sideribus potiùs quàm sub alijs hęc illáue oriuntur, mutantur & pereunt, cicuta sturnis coturnicibus veratrum est alimentum, quædam potiùs his morbis vel corporis partibus quàm alijs sunt adiumento, scamonium bilem flauam, pituitam colocinthis, veratrum nigrum atram bilem trahit. Hac taurus mitescit, ad ficum, oues lupi pelle sonante metuunt, leones gallum timent, remora nauem detinet, magnes allio vim amittit, adamas hircino sanguine mollescit, aliaque fiunt propter συμπαθείαν καὶ ἀντιπαθείαν innumera, quæ nisi cernerentur, credi non possent: & tamen omnia proprias suas causas habent, quæ possunt omnes ad communem analogiam referri. Hac simplicia corpora constant, quemadmodum diximus, & hac in vnam compositionem coniunguntur. Omnes vniuersitatis numeri monadem continent, vel ab ea potiùs continentur, & tamẽ in suos ordines sunt distributi, qui quidem singuli monade sua constant, & cum alijs etiam analogiæ vinculo sunt coniuncti: ita, quemadmodum in catenis, vna pars alterius nutu commouetur. Id autẽ quod diuersas partes in vnam speciem comprehendit est ea forma quam substantialem appellant. Hęc in materiam accommodatam accedẽs, quanquã vna sit

& indi-

& indiuiſa, per illius ſe magnitudinem extendit, vimque quandam, cùm ἐνεργία ſit, continet ſemper, ſed iam materiæ permixtam. Hæc autem vis eſt innata quædam agendi facultas, quæ nunquam eſſe velit ocioſa: quatenus autem in certas figuras ſemper ſuam materiam extendit quarti generis qualitates producit: quatenus vicina quæque afficit: cùm ipſa ſecundi ſit, profert omnes tertij generis qualitates, tum primas quę tangendi ſenſum mouent, calorem frigus: tum ſecundas, quę reliquis ſenſibus percipiuntur: tum tertias, quales ſunt πεπτικαὶ, ἀνώδυναι, ὀξυπτικαὶ. tũ etiã quartas, vt ſunt οὐρητικαὶ, σαρκωτικαὶ, καθαιρετικαὶ, ὀφθαλμικαὶ. Sed quia formam vnã cum alia diximus analogia quadam coniunctam, vnde ea quæ πρός τι vocant originem habent, vtriusque formæ vis ad effectioné interdũ cõcurrit. Sic καρδιακὰ medicamenta cum corde conueniunt, & cum eo conſpirant ad alicuius effectionem: at quoniam vires aliunde conceptæ diuturnitate temporis ſæpe firmitudinem acquirunt, hinc natæ ſunt omnes primi generis qualitates. Hæ verò qualitates actionum quidem inſtruméta ſunt, ſed forma ſubſtantialis potiùs eſt mirandorum operum effectrix: nam ea deſtituta cũcta diffluerent in materiam, nec aliquam vim continerent. Inter formas igitur ſubſtantiales potiùs eſt συμπάθεια vel ἀντιπάθεια, quamuis inſtrumentis oblatis vtantur & horum analogia illarũ naturam imitetur. Si quis autem ſciret earum analogias, mutuam vim non poſſet ignorare. Cognoſceretur analogia mutua natura cuiusque perſpecta, quæ conſtat etiam ſuis partium analogijs. Primæ partes elementa ſunt, ſecundæ membra ὁμοιομερῆ, tertiæ verò quas organica membra vocant, quorum omnium analogia debet eſſe nota: cognoſcitur auté ex actionibus & effectis. Effecta quidem demonſtrant actionem à qua fuerunt efformata, & actio cauſam à qua profluit, oſtendit. Verùm illa quanquam eiuſdem cauſæ, neceſſarium eſt vt pro materiæ varietate ſint diuerſa, quam quidem non intelligimus nudam, ſed aliqua forma ſemper exornatam, cui non deſint inſtrumenta, quibus agat aliquid & externis iniurijs reſiſtat. Ita quamuis tandem cedat potentiori, non tamen interim eſt ocioſa forma, ſed acriter ſe defendit, nec inſtrumenta rerum gerendarum è manibus excuti ſinit, quæ ſæpe poſſunt etiam aliquo modo formæ ſequenti ſeruire. Quatenus igitur vires contrarię confluunt, eatenns parant inſtrumenta ſuccedenti formæ, vnde ſuam effecta differentiam & naturam ſortiuntur: ergo non tantùm effecta, ſed & quæ fuerit eius materia conſiderabimus, quo cauſas effectrices intelligamus. Harum autem vim ſi bene perſpexerimus, & quæ materia quanquam parata ſit illi futura, longam rerum futurarum ſeriem proſpiciemus: quod quo rectè fiat opus eſt vſu longo, doctrina multa, ingenio

ingenio cùm perſpicuo, tum admodum circumſpecto, quale paucis hominibus eſt cõceſſum: verùm nõ eſt neceſſe nos abſtruſiſsima quęq; noſſe: ſed in ijs ſaltem quæ nobis cùm maximè coniũcta ſunt, debueramus ſummam diligentiam adhibere. Quapropter turpiſsimum eſt humanam naturam quemque diligenter perueſtigare, in qua quæ ſit analogia elementorum, ὁμοιομερῶν & reliquorum membrorum, ex actionibus & effectis, vt diximus, cognoſcetur. Actiones aliæ naturales, aliæ vitales, aliæ ſunt animales. Naturales trahunt, continent, coquunt alimentum, & id quod alienum eſt expellunt: & vitales continuo motu calorem innatum conſeruant. Animales diuiduntur in cognitionem & motum, ſingulæque habent inſtrumenta accommodata, quibus cauſæ effectrices vtantur. Inſtrumenta verò qualia debeant eſſe demõſtrant actiones, & rurſus inſtrumentorũ cõpoſitio demõſtrat quales ijs edẽtur actiones. ſi quis ſciat quantũ ignis, quantum terræ, quantũ oſsis & carnis, quóq; ordine contineãt ſingula, qualemque omnia coniuncta referant analogiam, non ignorabit qualis hanc actio conſequatur. Deinde non tantùm actiones internæ & inſtrumenta ſeſe mutuò demonſtrant, ſed tam hęc quàm illæ quibuſdam effectis ſe ſenſibus etiam aliorum oſtendunt. Sic hæc vel illa qualitas & quantitas, huius pòtiùs quàm illius eſt temperaturæ ſignum: ea verò non tantum in ſingulis & in omnibus corporis partibus, ſed etiam in ijs omnibus quæ effluunt per apertos omnes & latentes meatus ſunt conſideranda, & omnes circũſtantiæ cauſarum procreantium, ſexus, ætatis, tẽporis, loci, educationis, motus, quietis, reliquęq; ſunt omnes coniũgendę, quibus exactè collatis, excellens proueniet notitià compoſitionis humanæ, cognoſceturque quid ad mediocritàtem cuiuſque vel deficiat vel abundet: quibus omnibus ſi reliquas quoq; naturę partes contulerimus, nec morborum, nec remediorum rationes poterimus ignorare. Sed hæc me diligenter alibi ſpero traditurum, & euidenter demonſtraturum, quantum ſit inter ſciẽtiam & ignorantiam diſcrimen. Hoc autem loco plura non videntur eſſe dicenda.

Finis Libri Primi.

Nicolai Biesij Gandauensis de VNIVERSITATE LIB. II.

POstquam hæc dixisset, sublatus in æthera, cæli
Immensos mihi sum visus percurrere tractus,
Per quos vertebant ingentia corpora gyros
Quæque suos, magni qua fati semita ducit. a
Hîc multi iuuenes b concordi carmine magnos
Continuò æterni celebrabant regis honores,
Estq; pium hunc totus concentũ imitatus Olympus.
Multæ diuinæ nitida quoq; veste puellæ
Ordine ducebant varias hinc inde choreas,
Aptabantq; omnem diuina ad crumata motum. c
Dumq; hæc multiplicis ludi spectacula cerno,
Ille inquit: totum bene contemplare theatrum:
Nam Deus hoc animis voluit proponere magnis,
Quo sese oblectent, discantque inquirere causas
Rerum, ac ad quosuis sese componere casus.
Sidera circuitu deducunt stamina mundi
Ex æuo, & certis contexunt omnia formis.
E cælo veniunt omnes per tempora vires: d
Almáque cunctarum est rerũm sapientia rectrix.
Hæc mentes fecit, quæ sidera quæq; gubernent. e
Sed quoq; viua putant quidam inclyta lumina cæli,
Atq; omnes animas primæua ab origine stellis
Impositas proprijs, cognata in luce morari,
Perq; vices meritas in corpora iusta redire,

Et sic præteritæ vitæ persoluere pœnas.
Sed nullas animæ stellas, nullasque requirunt
Vnquã stellæ animas. nam purus semper Olympus
Æternæ regitur facili moderamine mentis. f
Sed nunc aspice queis radijs hæc cuncta regantur.
Nempe hinc descendunt cunctarum semina rerum.
Isthinc continuas vires hæc omnia ducunt. g
Naturam amplexa est totam concordia. Summũ hoc
Illa ima gaudet cælum quoq; coniuge terra. h
Hinc hominũ volucrumq; genus, genus omne ferarũ,
Atq; hinc tam varijs quæ crescũt vndiq; campis.
Terra gerit varios cæli vertigine fœtus.
Sublime hoc cernis spacium? Sine sidere primum
Cælum est, quod motu semper defertur eodem,
Circuitumque suum mensurat nocte dieque: i

a Fatum motu corporum cælestium contexitur, est autem fatum ordo causarum naturalium, quibus tamen est superior libera natura.
b Aeterna numeris imparibus, propter monadẽ, & maribus Pythagorei rectè cõferre solẽt. Corporea, propter materiã, fœminis cõparãtur.
c Motum circularem reliqui motus recti sequuntur, & omnia nutum prouidentiæ Dei.
d Omnia quæ sunt in hac vniuersitate, priùs sunt in æternitate.
e Corporibus cælestibus & elementis preficiunt intelligentias multi philosophi.
f Mentis virtus citra animam corporaturam attingere potest, quamuis multi philosophi aliter iudicent.
g Incorporea virtus per corpora purissima transit in crassiora.
h Corporea cuncta pulcherrima analogia inter se conueniunt, & hæc cum anima, anima cũ mente, omnia deniq; pulchrè conspirant in vnũ.
i Si tamen motum solis diurnùm adnumeremus, qui propter obliquitatem zodiaci, & ἐκκεντρότητα diuersis temporibus est diuersus.

Atque rapit secum violento hæc omnia tractu, [a]
Et citiùs propiora rapit: nempe ordine quæque
Deficiunt, & sic ferri in diuersa videntur
Stellæ. [b] *Non aliter perflantibus aëra ventis*
Altanis, tellus atque æquora tota quiescunt,
Ac citior nubes est quæque vt proxima cælo.
Languescunt spacijs vires: ita sæpe tumentes
In pelago videas sensim euanescere fluctus.
Sed quoniam astra polis proprijs voluũtur, & orbis
Purus diuerso nequeat se vertere motu,
Astrologi nonam dicunt sine sidere sphæram
Obliquo & tardo gressu [c] *contendere contrà,*
Stellarumq́ue polos sensim se flectere vtrinque
Exiguis medij sub cæli tramite circlis,
Millibus annorum quos septem fortè reuoluant. [d]
At triplo est alijs breuior mensura, nec illo
Se vertunt motu, sed ad arctos oppositumq́ue
Cælum describunt miro curuamine ductus,
Quos gemini faciunt geminato tempore cycli. [e]
Sunt rursus alio se vertere sidera cursu
Qui dicant: res est vobis obscura: sed ingens
Illinc discrimen rerum prodire necesse est. [f]
O quantum ingenijs magnis debetis honorem,
Qui poßint vasti cæli motumq́ue situmq́ue
Tam varium certis vobis describere normis.
Primo circuitu magno celeriq́ue liquescunt

Omnia.

Omnia continuò miſcet diuerſa ſecundus
Motus, dum ſenſim fermè in contraria tendit: [g]
Sic ſæpe vnius nubem violentia venti
Diſsipat, at ſurgens alius compellit in vnum
Multas, & liquidis concludit in aëre flammas.
Sed ſtellæ faciunt radijs poſitúque figuras
Omnes: nempe vides vario ſubtegmine multas
Componi rerum effigies, animantia, plantas,
Et quæcunq; oculis veſtris ſint peruia: motu
Sic quoque res imas vario dum ſidera miſcent,
Texunt in proprias formas hæc omnia. magno
Et quoque magna fuit conceſſa potentia cælo.
Non poſſunt tanta cæleſtia corpora mole,
Tam rapido curſu, tanto cum lumine paruas
Hanc in naturam rerum diffundere vires.

a Cælo propriè violētia non conuenit, ſed inferior ſphæra vehitur à ſuperiori: vt ſi quis naui in hanc partem feratur, & interim in aliam ipſe progrediatur.
b Qua diſtant analogia ſtellæ à primo mobili, ea deficiunt ab eius motu ſecundum nonnullos philoſophos: ſed cùm rectà non deficiant, neceſſe eſt vt proprium habeant motum.
c Hæc centenis annis partem vnam tantùm conficit.
d In principijs arietis & libræ collocant circulos latitudinis nouem fermè graduum, per quos fiat ille motus ſtellarum fixarum, quem trepidationis appellant.
e Hæc optimè explicantur à Nicolao Copernico, in libris reuolutionum.
f Putant quidam omnes circulos eſſe concētricos, quod tametſi multis rationibus probabile videri poteſt, tamen eccentricorum varietas, cùm iuſtam analogiam ſeruet, naturæ ſuam gratiam & vtilitatē affert.
g Primus motus parat materiam, reliqui formis eam diſtingunt.

Parua quidem vobis è terra est stella. remotus
Sensus decipitur. ratione probanda fuerunt
Certa futura. [a] *hinc tu vix poßis cernere terram,*
Quòd pereat spacijs acies. nequit arctior ipsam
Angulus è longo molem comprendere tractu.
Tam procul ex medio mundo nec sidera cernant,
Ni latè crescant penetrantis fragmina lucis.
Sic quoq; per speculum vel aquam densumq; vaporē
Corpora luce vides quæuis maiora reflexa. [b]
At fugit intuitum craßum tenuißimus æther.
Nam quoque vestra acies neq; percipit aëra purum.
At, quia densa, procul cælestia corpora fulgent:
Nam concreta magis virtus violentius exit.
Sic vbi collectus densis incudibus ignis
Vulcani, patulis prorumpens flamma caminis,
Interdum celsum diuerberat æthera. densam
Fabri nempe solent docti succendere syluam,
Dum cupiunt durum vt fingatur ab arte metallū. [c]
Vis dispersa leues subitò vanescit in auras.
Profert nempe ictus penetrabile fulgur inanes,
Fulmenq; horribili quatit obuia quæq; ruina.
Quanto quæq; minus fuerint distracta, tenebunt
Maiores vires, hinc quòd diuina perennes
Obtineant, vllo quòd non sint limite clausa,
Ac penitus virtus omnis iungatur in vnum. [d]
At tenuis nostra hæc vixdum via lactea lucet,

Namque

Namque fouet tenui sparsas in corpore flammas. [e]
Sed multum densi hæc ingentia corpora cæli
Fulgent. supremæ constanti lumine stellæ
Multiplices miro demonstrant ordine vultus,
Vnde licet vobis varias cognoscere causas. [f]
Nam pater omnipotens rerum descripsit Olympo
Successus: quos qui præstaret acumine mentis

a Quod Aristo. circa proprium obiectum nõ sensum, sed phantasiam decipi dicit, sic intelligendum est: quia species vel propter distantiam, vel propter aliarum concursum, non sunt tales in sensibus, quales in natura res vnde effluxerũt, si ex illis de his iudicauerimus, sępe nos errare continget: vt de luce per fenestras coloratas aut oculos infectos. Deceptio ergo in duobus semper est, et in affirmatione vel negatione: nam species ipsæ simplices nos non fallũt. Sed si dicamus tales esse res, quales in sensibus species, sæpe mentiemur.

b Quanto res quę videtur longiùs distat, tanto angulus in oculis, qui continetur duabus lineis ab oculi centro ad extrema rei conspectæ ductis, est minor: quãto angulus est minor, tãto res quoq; minor videtur. Sed cũm tale est mediũ per quod dirigitur acies, vt hanc nec planè impediat, nec planè admittat, tũc in maiorem amplitudinem distrahitur, resque maior apparet. Stella secundũ Arist. est densior ætheris pars. tenuitas autem ætheris & aëris cerni nequit.

c Densus ignis violentior est, ideoque in visceribus terræ talis est, qui Vulcano sufficiat ad superanda quæuis metalla.

d Aeternorum partes non sunt distractæ, sed corporatorum propter materiam quę diuulsionis & effusionis, vt inquit Simplicius, est mater. Verùm quatenus omnia formam eatenus & monadẽ habent. Hęc autem cum materia magnitudinis dimensionem facit, quæ per materiam continuò diuidua est, & positionem acquirit, cuius circumscriptio secundum Damascium rectè locus appellatur. In vno verò virtus est, & imbecillitas in diuisione.

e Circuli lactei candor potius prouenit ab illius ætheris densitudine, quàm vt putat Arist. à lucis repercussu.

f Potiùs ab effectis quàm à formis astris impositæ sunt appellationes, vt inquit M. Manilius.


Conti-

Continuò legeret. magnum iſta ſcientia pondus
Obtinet, vt recta vos cum ratione regatis
Omnia. quo in plures ſe vertant cuncta figuras,
Inferius curſu vagabundo ſidera ſeptem
Nunc ſublimia ſunt, nunc terræ proxima: rurſus
Ad medium verguntq; diem, ſeptemq; triones,
Vt varios peragrant, diuerſaq; hapſide cyclos, [a]
Per quos multiplices peragunt hinc inde choreas,
Et placidè omnigeno concentu hæc omnia ducunt.
Horum ſumma tenet ſqualens Saturnus, & annis
Egreſsi centri ter denis circuit orbem.
Aſt immota ſuo conſiſtit pondere tellus
In centro rerum: nec in hanc aliámue mouetur
Partem, nempe leuis cæli commercia vitat.
Cætera cuncta locum mutant. Sic magnus Olympus
In varias formas ſe vertit perpete curſu,
Cogitq; in totidem tranſire elementa figuras. [b]
Sed ſi cuncta cupis penitus diſcrimina mundi
Noſſe, & quæq; ſuis numeris diſcernere veris,
Id poteris varijs ſtellarũ diſcere ab vmbris,
Ac non fallentis facili rationẽ trigoni, [c]
Cuius pars mediæ recta eſt dimenſio terræ.
Sic diuini animi tenui diagrammate totam hanc
Cumque ſuis norunt ſpacijs deſcribere molem. [d]
Nil eſt quin prompta tandẽ ſuperetur ab arte.
Hæc magnã hanc grates docuit producere fructus

a Siue per epicyclos, siue per eccentricos, siue partim hoc, partim illo motu planetas ferri dicamus, eadẽ fermè positionis et virtutis ratio manet: sed non si per concentricos. exactam autem supputationem & rationem motuum tradit Copernicus.

b Omnia inter se consentiũt, corpora corporibus, loca locis, dimẽsionibus dimensiones, & omnia cum sapiẽtia Dei, & corpora magis mobilia maiorem ad motum locum habent.

c Astrologi instrumenta conficiunt, quibus magnitudines vniuersitatis, quæ sensibilẽ cũ semidiametro terrę seruãt analogiã, dimetiuntur. Nam certũ est triangulos similes, laterũ mutuã analogiã seruare. Cùm igitur trianguli in instrumento latera nota sint, & nota sit etiam diametrus terræ. Non est difficile intelligere, quod latus trianguli in instrumento, cum terræ semidiametro conueniat, cuius etiam analogiam cum reliquis lineis in hanc vniuersitatem eductis facilè inueniamus. vno enim cognito, alia non poterimus ignorare, cum quibus certam analogiam habet. Sed quoniam hæc res non mediocriter ad vniuersitatis cognitionem prodest, breuiter eius exemplũ describamus.




Igitur quo mensurã inuestigemus, quę sit inter terram & planetã quemcũq; propositum. Primùm in planitie erigemus ad perpendiculum notam mensuram, a. b. cuius vmbram sidus conspectũ. d. extẽdat in. a. c. cùm ex hypothesi a sit angulus rectus, & vmbra facilè possit mensurari, mensura vero a b. sit etiam nota, facillimum fuerit hunc trigonum a. b. c. quem radius b. c. propositi sideris, d. & a. b. mensura, cùm vmbra sua circumscribunt, in plano deliniare, cognitis nanque duobus lateribus a. b. & a. c. & cognito etiam a. angulo intercepto, qui nimirum rectus est, quid obstat, quo minus possimus ea hoc pacto describere, & b. c. linea totũ triangulum complere. Nam angulus cuiusq; trianguli, circulo ex linearũ intersectione ducto, quantus sit, facilè liceat adinuenire. Ita totũ angulũ f. e. rectũ esse constat. Quoniam par est a. g. quadrante circuli, quanto verò quadrante

K minor


minor est angulus, tanto minor est recto, tantoque maior quanto est quadrante circuli maior. Angulus igitur .b. quantus sit inueniri potest: & ex eo quantus sit angulus l. quoniam constat ex elementis geometricis, si linea recta incidat in aliam rectam, vt.a. b. linea, in lineam d.c. fieri duos angulos, nimirum b. l. qui sint ambo pares duobus rectis: continent enim semicirculũ. Circulus autem quatuor positiones continet, dextram, sinistram, superiorem & inferiorem, & inter eas quatuor anguli sunt, quos rectos vocant: si inuenerimus igitur quantus sit angulus b. reliquus l. notus etiam erit. nam qui totam aliquam mensuram cognorit, & notam inde portionem aliquam subduxerit, quid ni cognoscat eam quæ relinquetur. Angulus itaque l quantus sit, sic inuenitur: similiter angulus f. quantus sit poterit cognosci. nam angulus totus f. e. rectus est, vt qui continet quadrantem circuli. Angulus autẽ e. ex arcu suo potest inueniri, si astrolabio cõsiderauerimus quot partibus. d. stella distet ab horizonte: ita tamen vt varietatis aspectus rationem habeamus. Est autem varietas aspectus, inter finem eius lineæ, quæ à terræ centro per locum propositum, & eius quæ ab oculis nostris ducitur in cęlum. Angulus igitur f. ex angulo e. deprehẽdetur. qui nempe totum norit, & vnam aliquam partem, non ignorabit reliquã. Quapropter anguli f & l noti sunt: similiter & reliquus angulus d. quoniam vt ex elementis geometricis cuiuis manifestum est, omnis triangulus cõtinet tres angulos, æquos duobus rectis. Si nouimus itaque, quantum f & l deficiant à duobus rectis, nouerimus etiam, quantus sit angulus. d. reliquus. quapropter promptum fuerit triangulum deliniare talem, qualem facit radius d. l. propositi sideris, lineaq; d. e. quæ tenditur à portione conspecta sideris ad centrum terræ, cum reliqua linea e. l. similium autem triangulorum anguli ateraque analogia mutua tenẽtur. Quapropter cùm trianguli e. d. l. angulorum & laterũ analogia possit hoc pacto peruestigari, si latus vnũ fuerit inuẽtum, inde cognoscentur etiam reliqua. Atqui nota est mensura lateris e. l. semidiametri scilicet terræ: nam a. l. nullius est momenti, comparatione tantæ vastitatis. Terræ verò diameter inuentus est demonstratione quadrantis: nam qui rectà progreditur versus polum ab. a. exempli gratia versus g. videt singulis quingẽtis stadijs (quanquam Eratosthenes & veteres plerique septingenta supputarunt) attolli supra horizonta trecẽtesimam sexagesimam fermè circuli cælestis partem. Cum autem tam terra quàm cælum esse rotundum, eadem demonstratione, constet, necessarium est vbique eandem mutationem fieri: terræque totum circulum trecenties & sexagesies totidem stadia continere. At circulus ter diametrum & septimam insuper eius partem continet. Nota est igitur semidiametrus terræ: nota est etiam eius ad altitudinem

nem propositi sideris analogia. & ita huius quoque altitudo erit nota: si tamen altitudo cũ semidiatro terrę seruet manifestam aliquã analogiam: nam firmamẽti stellæ tam procul distant, vt cernantur tanquã essemus in centro mundi collocati: semper enim dimidiũ circuli illius supremæ sphærę videmus. Ergo nullũ hic est nobis inter superficiem & centrum terræ discrimen: quapropter altitudo firmamenti non potest inueniri, planetarum vero potest. In apogæo suo luna distat à terra quinquaginta quatuor terrę semidiametris & amplius: sol autem M.C.& lxxix. interuallum Mercurij paulo plus tertia parte solaris interualli cõtinet. Eiusdem autem Venus tres fermè quartas. Mars apogæus continet interuallum apogæi solis, & eiusdem duas tertias fermè partes. Iupiter continet illud quinquies & eius dimidiam ferè portionem. Saturnus nonies cum duabus tertijs & amplius. Sed inter apogæum & perigæũ diuersas faciunt analogias, quæ omnes eadem arte, cum summa voluptate, nec minore cum vtilitate cognoscuntur. Si verò velimus ex altitudine magnitudinẽ peruestigare: sit oculus a, quo per quadrantem videat quis chordam propositi sideris d. b. cuius diametrus est c.f. e. & erigatur mensura i. h, constat eam esse analogiam a. d. ad d.b. quæ est a.i. ad i. h, quoniam trigonus a.i. h. similis est trigono a. d.b. similium autem trigonorũ anguli lateraque similem analogiam seruant: angulus.a. communis est vtrique. linea vero recta a. o. secat parallelas p.d. & n.i. ad eandem positionem angulorum: vt quantus sit angulus o.b.p. tantus sit oppositus d. b.a. & tantus etiam alternatim huic respondens o.h. n. & tantus huic oppositus.a. h. i. quemadmodum ex elementis geometricis est manifestum: atqui eadem est ratio



lineæ. d. a. similium igitur triangulorũ a.i.h. & .a.d.b. latera mutuam analogiam habent: & quoniam scimus analogiam a. i. ad i. h. vmbræ

nimirum ad corpus quod vmbram reddit, sciemus & analogiam. a. d. cum d. b. interualli, ad partem conspectam propositi sideris: sed. a. d. altitudo iam est nota, igitur & conspecta pars sideris. d. b. Verùm quoniam est difficile tam altas mensuras in planitie collocari, quibus diametros siderum dimetiamur, satius est catroptra cõsiderare, quantam partem sui circuli sidus occupet. nam cùm manifestum sit ex elementis geometricis, chordã sextæ partis circuli esse semidiametro parẽ, latus nimirũ hexagoni in circulo descripti, quod subtẽdit sexaginta partes tales, quales vniuersus circulus continet trecẽtas & sexaginta, quæ est analogia magnitudinis sideris, ad sexaginta partes, eadẽ est ad altitudinem: sed est altitudo nota, igitur & hinc quoque magnitudo: vt si diametrus propositi sideris sit partis vnius sexagesimæ hexagoni, erit



etiam diameter vel chorda potiùs conspecti sideris sexagesima pars altitudinis. ex arte sinuũ ab astronomis nũcupata, ratio arcus ad chordam sumi potest. Verùm quia visus totum diametrum non comprehendit, quantóque res conspectæ longius distant, tanto minore angulo maioriq; parte cernuntur (ita ex. a. video chordã b. c. ex. d. verò chordã tantũ e. f.) ex interuallis & angulis hę quoq; differẽtię sunt cõsiderãdę: cognitis verò chordis vel diametris & circulos & sphæras cognoscemus: ita scimus terram esse fermè luna ter & quadragies maiorem, solem autem terra centies sexagesies & amplius, reliquáque multa generis eiusdem ratione angulorum trianguli, quibus latera respondent, cognoscuntur. hinc etiam epicycli, apogæa reliquáque multa generis eiusdem, quæ non tantùm pulcherrima sunt, sed etiam summam adferũt vtilitatem: nec enim motus corporum cælestium rectè constitui, nec eorum virtus intelligi potest, nisi fuerit analogia magnitudinis & interuallorũ omnium perspecta, & etiam quam cum illis terra contineat rationem, in cuius superficie

non

non autem centro cùm nos versemur, hinc multiplex prouenit in diuersis regionibus siderum prospectus, quem si diligenter animaduerterent astrologi, non in tam multos inciderent iudicandi errores.

Matrem, atq; indomitum naues admittere pontum.
Hæc fera constrinxit vestris animantia iussis
Parere, ac tenues cælos conscendere mentes:
Vnde sciant magnas cunctorum agnoscere causas.
Bis senis Phaëthon totam hapsida circuit annis,
Mars binis, simul hæ mensurant stellæ epicyclos
Solis circuitu. regali Phœbus amictu.
Annua fœcundo diducit tempora motu, a
Naturæque vices ingenti luce gubernat.
Inferius Venus & Stilbon curuamina complent,
Æquis cum Phœbo spacijs, quandoq; sequuntur,
Præceduntq; altos lato dum tramite circlos
Conficiunt. Venus alma suum deno atq; noueno
Mense, celer Stilbon quarto hũc cùm mẽse reuoluit.
Pulchra Diana gerit fraterno en lumine vultum b
Conspicuum, & fusco faciem maculata colore est,
Quà minus est densum Phœbi penetrabile lumen.
Circuit ista quater septem vagabunda diebus, c
Ac vno totam bis conficit hapsida cursu.
Signiferi & medio latè deflectit ab orbe,
Obliquo pingens progressu vtrinque Draconem,
Versus qui occasus tria puncta diurna peragret.
Stellarum proprio sic cursu quæq; vagatur.

Atq; vices peragit tamen omnes vna potestas,
Cuius ad obsequium natura quæq; feruntur.
Sic & Demodoco cytharam pulsante sonoram,
Alcinoi celeres pueri, iusto ordine, totum
Norant in proprios numeros distinguere motum.
Virtute astrifera cuncta hæc natura gubernat,
Et varios profert mutato crumate saltus.
Per varios tractus concepti numina cæli
Continuò in iustos ducunt hæc omnia fines:
Ordine quæq; suo: nam si supereminet astris
Mens, tamen haud facile est geniū superare sinistrū.
Nempe peritus eques tardum nimiúmue ferocem
Nactus equum, stadij speratos perdit honores.
At si quis norit quæ claro inscripsit Olympo
Natura, ipse sciet rerum discernere causas
Et quid quæq; potest, multisq; afferre medelam,
Quæ nunquam ignotam fuerint visura salutem.
Ingentes grates debet Respublica magnis
Ingenijs, nullo fuerint quæ fracta labore,
Verùm indefessa peragrarint omnia mente,
Immensos cæli tractus, mundíque latebras
Omnes, quo varios possent prædicere casus,
Seq; ad diuersas homines componere sortes.
Cuncta suos peragunt cæli vertigine cursus.

a A sole cuncta lucem & virtutem concipere creduntur.
b Luna non habet propriam lucem, sed tanquam speculum illustratur

tur à sole: qua verò parte minus densa est & leuis faciliùs penetrat, minusque reflectitur lux solis, & iccirco ibi nigrior apparet.

c Cùm tertia fermè diei parte, non enim sunt hæ supputationes exactæ: singulis nouilunijs & plenilunijs est in hapside suprema, singulisque quadraturis in ima linea, & quinq; partibus à zodiaco deflectit.

Si quis disciplinas omnes humanas rectè consideret, non poterit eã quæ de rebus æthereis est reliquis longè nõ anteferre. Tanto nimirum alijs omnibus hæc nobilior est, quanto cælum præstat elementis, quantoq; causa suis potior est euentis. Cùm autem à superioribus inferiora cuncta gubernentur, plurimum etiam ad res tum priuatas tum publicas profuerit, si nos illis cælestibus cuncta sciamus decenter accommodare. Quod si tantum hæc inferiora nos considerare voluisset Deus, hominem, instar animantium reliquorum, pronum fecisset. Nunc autem, cùm erectam illi figuram dederit, ac intelligendæ veritatis instrumenta sursum conuerterit, voluit profectò cogitationes nostras in rebus sublimibus maximè versari. si quis igitur earũ pulcherrimã considerationem non tantũ negligit, sed etiam damnat, is quod homini maximè proprium est in hac natura de medio tollit, & pariter reluctatur apertè volũtati diuinę: adeoq; se nõ tantùm ineptũ, sed impium etiam esse confitetur. Cùm ex huius naturæ consideratione debeamus deuenire in admirationẽ alterius naturæ diuinæ, qui præcipuam eius partẽ ex animis nostris aufert, is proculdubio magnas occasiones exercẽdę pietatis contemnere videtur. Quod autem in cælo magis elucescat diuinitas quàm in elementis, manifestiùs est quam vt ab aliquo negari possit. Cælestium enim orbium magnitudo, pulcherrima varietas, ordo & virtus, cum ijs quæ in his caliginosis angustijs assiduò tumultuantur comparata, facilè significabit & superiora semper esse magis diuina, & ab illis hæc infima suam vim & exornationem adipisci. Itaque dum de rebus diuinis loquimur aut cogitamus, cæli mentionem facimus, sursum oculos totamque corporis & animæ affectionem attollimus: quod non fieret, nisi in eo quędam eximia virtus esset collocata. Quanquam itaque Dei præsentia totam implet rerũ omniũ naturam, tamen, quemadmodũ etiã sacræ literæ satis testãtur, eius virtus euidẽtius in cælestibus orbibus versatur. atq; etiã ad rerum omniũ humanarũ cognitionem contemplationem cęli constat non mediocriter conferre. Cùm enim stellas nobis esse propositas tanquam signa quædam dicunt, necessarium est, ijs nobis aliquid indicari: necessarium est aliquid subesse quod significetur, & aliquem etiam, qui significationem animaduertat: alioqui frustra factæ sint à Deo in significationem, frustraque signorum nomen ijs impositum

fuerit

fuerit à scriptura. si verò dicant tempora tantùm non autem euentus rerum significari, quî fit igitur, quòd gentibus metuenda dicantur: non enim ipsa tempora, sed potiùs ea quæ cum temporibus ingruunt, periculum afferre solent. Denunciant igitur interdum signa cælestia gentibus, quæ tantum secundum naturam citra gratiam viuunt, calamitosos exitus rerum. Veri autem christiani, qui per gratiam naturæ superiores sunt, illis non magnopere commoueri debent: tum quòd eius præsidio tuti sint, qui naturam vniuersam fecit atque gubernat, tum quòd æquo ferant animo prouidentiam Dei, si quid aduersi contingat. Idq́ue sibi vult quod dicunt virum sapientem astris dominari. Tametsi verò possunt etiam frequenter noxij rerum euentus per sapientem vel impediri vel saltem leniri, non tamen iccirco minus significantur: quædam enim necessarios, alia frequentiores, multa raros tantùm portendunt. Solis sublimitas æstatem necessariò significat, sæpius etiam calorem, non tamen perpetuò parem: quia potest Saturni vel alterius radijs debilitari. Cùm enim ad singulos euentus rerum omnes causæ cælestes officium suum præstent, oportet considerare quomodo sint affectæ singulę, & quid singulæ conferant singulis, quo communem omnium operationem ad propriũ aliquod effectum cognoscamus. Causæ verò cùm suorum sint euentuum signa, qui eas omnes rectè cognorit, successus & exitus rerum non poterit ignorare, potiùs tamen signa dicuntur ea, quæ communem causam habent. Ita lunæ pallorem pluuiæ signũ esse dicimus: quoniam vapores in aërem sublati, pallorem pariter & pluuiam gignunt. Puritas aëris occiduum solis ruborem & serenitatem parit. Insolita violentia naturæ, & cometarum horrendos fulgores, & etiam mutationes regnorum secum affert: sed & hæc signa per illa priora cælestia quoque cognoscuntur. Ita causæ pariter & euentus rerum, mira quadam serie connectuntur, & ex vno deuenimus sæpius in alterius alicuius & etiam ordine in plurimorum cognitionem. Quod qui non videt, necessarium est, vt se fateatur ineptum, & inutilem ad res vel publicas vel priuatas rectè gubernandas. Oportunitas enim omnium rerum humanarũ mater est, temporibus suis semper coniuncta, quæ cæli virtute præcipuè descendit in terram, nec apprehẽdi commodè potest, nisi causarum & signorum, maximè cælestium, mutua comparatione. qui cognitionem rerum cælestium animis nostris adimunt, perinde facere videntur, ac si tollerent æthereos orbes ab ipsa rerum natura. Nam (quemadmodum Mathematici dicunt) si conuenit vnum cum altero, quemadmodum tertium cum quarto, necessarium est similem esse rationem primi cum tertio, quæ est secundi cum quarto: qualis est igitur ratio cæli cum tota natura, talis est scientia rerũ cælestiũ cum naturæ cognitione. Quoniam

niam igitur liberæ nostræ cogitationes sunt, tollamus animo stellas omnes, lunam, solem ipsum, totamq; regionem æthercam ex hac vniuersitate, protinus hic erunt in densissimis tenebris omnia, protinus erunt omnia frigoris, horroris, tumultuationis, & præsentaneæ corruptionis plena. Quòd si noctis obscuritas nos conturbare solet, quæ tamen ab astris & repercussu radiorum solis illustratur, quid futurum putamus, si sublata sit ætherea lux ex hac natura rerum? Simile quippiam accidet scientię naturali, sine rerum cælestium consideratione, & cum scientia naturali concident omnes, quæ de moribus sunt disciplinæ. Natura nimirum rerum actiones omnes gignit, quæ semper parentis suę similitudinem gerunt. Quanquàm enim mens & voluntas nostra sit superior huic corporaturæ, cũ hac tamẽ ambæ tam arctè coniunctæ sunt in vnum, vt ijsdem fermè motibus semper commoueantur, nec quicquam posśint animi, nisi cum corporibus suis hîc præstare: non quòd non habeant propriam vim, qua malis corporis illecebris reluctentur, sed quòd tam ignauæ, tamque stupidæ factæ sint, vt laxatis habenis, depositisque calcaribus, equi minimè boni multiplici libidine se ferè patiantur raptari. Quantum autem corpus ad animæ functiones conducat, ex ebrietatibus & morbis facilè cognoscere licet, in quibus leuis aliquis vapor, grauissimam mentis abalienationem afferre potest. Ita quoque videmus ob non adeò magnum corporũ discrimen, quosdam ingeniosos & sagaces esse natura, multos stupidos, stolidos & prorsus ineptos. Corpus autem aëris circumfusam temperiem ęmulatur. Aër enim continuò per pulmonem totamque corporis nostri foraminosam peripheriam trahitur, totosq; nos facilè permeat, ac restituit nostri spiritus assiduam consumptionem: idẽ etiam permeat ac immutat omnia quorũ contactu nos indies immutamur, & ipsum permeat atque mutat etiam vndique virtus cæli. Ita fit vt mens fermè corporis temperiem sequatur, corpus autem externam rerum temperaturam, omnia verò cæli virtutem imitentur, & vt hominũ, regionũ, cunctarumque rerũ temperies in terram cæli motu descendat. Aetherea natura tanquam mediũ quoddam accommodatissimum inter animam & corpus, quoniam vtriusque magna cognatione tenetur, superioribus viribus facilè paret, & inferiorem corporaturam gubernat. Nam nisi hæc inferiora, suapte natura stolida, respondeant ætheri, & æther etiam obsequatur mentibus & prouidentiæ Dei, in varios statim tumultus & discrimina deueniret tota rerum natura. Ita partes omnes ætheris reguntur ab æternis in significationem & productionem futurorum euentuũ: nam, vt diximus, etiam animus fermè corporis motum imitatur. Vnumquodq; vero corpus temperiem quandam ab origine sua sortitur, quæ temperaturæ sui natalis cæli respon-

deat, & cum ea pariter suis temporibus permutetur. Quòd si quærat aliquis, quomodo cælum, cùm hinc tam procul distet, posit hæc cuncta tam facilè gubernare. Libenter vicissim eum interrogarim, quomodo sol cæteraque sidera suam lucem tam promptè per immensa spatia diffundant. Lux enim nihil aliud quàm affectio quędam oculorum est, quæ concipiatur eius corporis virtute, quod eam emittit. Oportet igitur vim eius quòd lucet esse præsentem, cuius efficaciam sentiamus. Nec tantùm videndi sensum tenuissimum à cælo moueri constat, sed etiam crassissimum omnium sensum tangendi: quod æstatis feruoribus & rigoribus hyemis quotãnis facilè quiuis experitur. Nam vnde temporũ, vnde regionũ, & rerũ omnium varietas, præter quàm à cæli motu & situ. Certè omnia naturæ opera primam suam originẽ è cælo sumunt, etiam ea quæ fortuita videri possunt. Multi quanquam omnem diligentiam adhibeant, infeliciter negocia tractant: alijs etiam negligentibus omnia prosperè succedunt. Necessarium autem est aliquam subesse causam, quæ continuò proferat in his & in illis hominibus pares euentus. Dicent omnia prouidentiam & voluntatem diuinam gubernare, & rectè quidem dicent: nam id ipsum nos omnes, opinor, ingenuè confitemur. Sed viris rerum naturalium studiosis propinquiores rationes inuestigare licet. Ineptus certè fuerit medicus, qui pharmacum morbo conferre dicat, quoniam ita Deo visum sit, nec vllam afferat rationẽ, caloris, frigoris, aut alterius virtutis: & geometra, si dicat trigonum omnem duos angulos rectos continere, quòd ita Deus enim fecerit, meritò ridiculus videatur: idem de reliquis omnibus artibus dicendum, quæ continua causarum & rationũ serie contexuntur. Cùm autem rationes & res omnes ordine suo constent, is postulat vt homini cuncta seruiant, vt subditi principibus, & minora semper maioribus se summittãt. Idem postulat etiam, vt pauperes ditioribus ministrent, atq; alij sint alijs, in ludis, in negociationibus & in omnibus alijs fortunatiores, & hîc fermè gubernatur corporũ cęlestiũ motu. Sed non tantùm ipsarum rerum, verùm etiam temporum et locorum est quidam ordo, & qui in hoc felix est, alio potest esse miser. Quin etiam cogitationes, rerũ ordine fermè gubernantur: vt qui sub infortunato cælo natus est, excitetur ad res gerendas eo potissimum tempore, quo minus feliciter succedent. Si quis sub tempestuoso sidere primam viderit lucem, sub eodem & nauigare cupiet & periculosis tempestatibus obijcietur. Idem etiam in mercimonijs & reliquis negocijs contingit. Idem etiam in proprietatibus illis occultis rerũ. Nam vetus prouerbium est, similia libenter in vnum conuenire: quæ nimirũ ordinis sint eiusdem. Ita qui sub Ioue nati sunt hyacinthis gaudere dicuntur, & fulmine minus percuti: infeliciter negocia tractare, qui-

bus

bus Mercurius minimè fauet: non enim ingenium exercent vt decet, & alieno tempore, vel loco. Profectò summa quædam in ordine rerum vis est: in eo primas obtinet voluntas, prouidentiaque Dei. Hanc beatæ mentes sequuntur & tota rerum natura. Sed inter corpora cælum principem locum tenet: quod quidem mentibus paret & inferiora corpora gubernat. Quidam autem alium quendam ordinem horum inferiorum afferũt, qui scilicet corporibus cælestibus non habeat opus. Asserunt enim sic esse cuncta natura contemperata, vt continuo motu tam proprios quàm vniuersitatis ordines egregiè tueãtur. Vi caloris continenter ascendere vapores è visceribus terræ, qui frigore superioris regionis iterum deorsum vel in obliquum impellantur, & secũ aërem rapiant, in eam potissimum partem, in quam facilior via patet. Interdum etiam diuerso motu tanquam prælium in aëre geri, nonnunquam obstructos halitus violenter erumpere, & naturæ fabricam veluti conquassare, quemadmodum in tormentis bellicis fieri solet. Hinc ventos, pluuias, tonitrua, terræmotus & eius generis alia multa fieri dicunt, potiùs tamen ab interno elementorum principio, quàm ab aliquo externo. Idem etiam in alijs omnibus rebus euenire putant: semina suum ab origine continere temperamentum, in quo compositionis singulæ partes simplices natura suum mouendi principium obtineant, & earũ motu confici compositorum naturam. Semen humanum exempli gratia, ex quatuor elementis constare, iusta quadam analogia commixtis, quæ quidem singula suo motu ferantur, & tamen omnia pariter proprio motu seruent totius compositi temperaturam. Eo motu simile continenter alimentum attrahi, & omnes partes digeri in compositionem formæ humanæ: eo motu ad iustum incrementum omnia redigi, & tandem laxata dissolutaque temperie, innatæ compositionis partes distrahi, cumque vehementiùs distractæ sint, quàm natura statuerit, tunc hominem interire. Simile quippiam in reliquis omnibus euenire putant: ita totã naturam & singulas eius partes ab initijs adeptas esse temperaturam, cuius motu per suas vicissitudines decurrant in finem. Sed tamen si negant ab externis rebus coniunctis affici singula, pugnant cum ratione, cum experimentis & cum sensu communi: videmus enim vires diuersas nunquam frustra commisceri, sed in mutuam semper actionem & affectionem: quin autem vis cælestis huc vsque perueniat dubium esse nequit illi, qui tam cæcus non est, vt lucem meridianam non cernat. Deinde cùm elementa natura semper ad proprium suum locum ferantur, & in eo libẽter quiescant, qui fieret, vt in variam compositionem rerum transferrentur, si non cogerentur virtute cæli. Certè vires rerum corporatarum motu situque cælestium corporum peraguntur, & hæc varietas omnis est

potissimũ cæli consideratione cognoscenda. Atqui cæli vires euidenter cognosci non possunt, inquiunt. Verùm si reliqua vel naturæ vel voluntatis opera certa putant omnia, nihil diligenter perpendisse videntur: si verò quæ certissima non sunt contemni debent, quid illis infelicius esse potest, qui in perquirendis rebus omnibus occupantur, si frustra summis laboribus vitam omnem consumunt. Sed longè secus se res habet quàm existiment illi, qui cùm prorsus nihil intelligant, non est mirum quòd quid intelligant alij, satis intelligere non possunt. Tota nimirum mundi fabrica pulcherrima quadam & rationi consentanea constat analogia, in qua summa, nempe cælestia, principatum tenent, & animi quoque generosissimi sunt, qui in illis summis præcipuè versantur. Nam cùm motus & magnitudo siderum multa multorum temporum & sapientissimorum virorum diligentia nobis inuenta sit, nihil obstare potest, quò minus & reliquas multas vires astrorum inuenerit ratio perspicax cum experimẽtis quotidianis coniuncta.

Infima luna ferum trahit almo numine pontum
In gyrum, ac multum stillat per viscera succum.
Efformat blandos animos, vultusq; colore
Depingit niueo, quamuis sit amica tenebris.
Ipsa regit grauidas potiùs puerosq; tenellos,
Infundens varios vagabundo lumine mores.
Nempe placent syluæ, montes & lustra ferarum,
Et quoq; sæpe placet terras lustrare remotas:
Septenoq; regit positas sub climate gentes.
Hanc sequitur vario cursu Cyllenius heros.
Iste solet doctus sese oblectare camœnis:
Ac persæpe altum scandens Heliçona, requirit
Nectare cùm saturæ referunt ventura sorores
Atræ: sic vobis transfert fatalia dicta,
Ingenioque præest: doctus nam fertur Apollo

Inqui-

Inquirens, triplices Maiæ reſeraſſe latebras,
Ambroſia nec non diuino nectare plenas:
Cùm tamen hanc cœtum cõſtet vitare deorum. [a]
Auſterus nimium quondam moderator Olympi
Cælus, non voluit mundo producere prolem
Vllam: at Saturnus factis iratus iniquis,
Arte pia tandem duri genitalia patris
Abſtulit: omnigenas & ſparſit ab æthere guttas. [b]
Atque hinc nata ferunt cunctarum numina rerum.
Hinc quoq; nata Venus, q̄ numina cũcta gubernat:
Omnia nempe trahit ſuaui Venus vna catena. [c]
Mollia ſpumoſo dum turgent membra furore,
Inuicto exagitat fœcundas igne medullas.
Pulchra ſonora & odora placẽt & dulcia cuncta,

a Hæc traduntur ab Homero in hym. Merc. & etiam à Proclo in eiuſdem hym. Maia eſt ab inquirendo dicta. quamdiu verò quis inquirit nondum intelligit: cùm autem dij intelligentiæ ſint, non eſt mirum, quòd ab eorum conſortio eximatur à poëtis Maia. Tres autem præcipuæ ſunt ingenij partes, inuentio, iudicium, & memoria.

b In primo cælo prima virtus eſt, quæ per orbes planetarum ordine deſcendit ad hæc inferiora, ſine quibus eius participes eſſe non poſſemus. Saturnus autem eam primus concipit ac transfert. Inſuper Deus omnium rerum æternus dominus, tandem hanc vniuerſam naturam per filium bonitatis ſuæ participem fecit. Heſio. μήδεα excisa dicit, quibus non genitalia tantùm, ſed & conſilia ſignificantur.

c Omnia conſtant analogia, qua diuerſa coniunguntur in vnum. coniunctio verò per ſimilitudinem amorem parit, vel aliquid in rebus inanimis quod illi reſpondet: nihil autem eſt quod eiuſmodi coniunctione poſſit carere: ſine hac diſrumperetur, hoc eſt, interiret vniuerſa rerum natura. Venus apud Platonicos ſignificat etiam genitricem mentis diuinæ vim.

Anchiseſq; placet Veneri, ſed prouenit illinc
Aenæas. turpes luctus comitatur amores. a
Prò dolor, at miſeras vitare cupidinis artes
Quis queat? infauſtis placidè ferit intima telis
Viſcera. ſed virus ſubitò immedicabile creſcit,
Et tandem inſano depaſcit cuncta dolore.
Pocula ſi biberit quis fortè infecta veneno,
Pharmaca letifero patitur contraria morbo.
At qui tabificos animo concepit amores,
His quibus ipſe perit flammis alimenta miniſtrat.
Eſt ſpecies tam dulcis ei concepta puellæ,
Vt pereat potius, quàm formam perdat amatam. b
Et ſubit improuiſus amor: nam luminis ictu
Primo ſæpe ſolet penetraſſe per intima cordis.
Lumina forma ferit, volat in præcordia, flammas
Excitat, hæ ſtimulant atq; impatienter adurunt.
Sic fera quæ fuerit medicatis ſaucia telis
Vndique præcipiti curſu loca vaſta pererrat.
At qui perniciem ſecum trahit, intima virus
Exeſt, atque animam tandem depaſcitur ipſam.
En iuuenem multis cernis, rutilisque capillis,
Mobilibusq; oculis? hunc qui velatus amictu
Purpureo cernis nunquam ceſſare ſagittis? c
Cunctarum eſt domitor rerum puer iſte paterque,
Atq; ferit certo iecur & præcordia iactu,
Ac pulchros potiùs meliorig; indole natos. d

Hei

Hei quàm multa feris genera hîc pectora vidi
Telis ſaucia, quàm diuerſas vndique curas,
Mœrores, gemitus, lachrymas, ſuſpiria, planctus?
Hîc vidi indigno multas marcore perire
Quæ ſuperent Helenã. plures queis pulcher Adonis

a Vicinitas ad arctiorem coniunctionem trahit, quę per Anchiſem intelligi poteſt. Sed quoniam eſt vbique plus mali quàm boni, plures ſunt cauſæ luctus quàm gaudij. ἄινος autem luctum ſignificat, à quo dictum Aenęam ſcribit Homerus in hymno Ven.

b Species cõcepta videtur eſſe tanti boni, vt nullum aliud bonum ſit, quod cum illo poſsit conferri: ideo qui vehementer amant, ſuis contemptis, nihil aliud cogitant, quàm illud bonum, ſine quo iudicant ſua nullo modo conſiſtere poſſe. Imò cùm malum ſit abſentia quædam boni, ſe miſerrimos iudicant, quibus maximo ſuo bono ſit carẽdum. ſpecie verò nihil celerius, quæ confeſtim ad animorum intima peruadit, & amantem arctiſsimè cum amata coniungit: quia tamen fermè longius diſtant quàm vinculi natura patiatur, quod nimirum eſſe breuiſſimum & in vnum arctiſsimè conglutinare cupiat, hinc eſt quòd conuelli videntur amantes, & quoniam animam appetitricem attingit amor, hinc eſt quòd cor maximè diſcrutietur & marceſcat.

c Tenax humiditas cum multo calore eſt materia procreationis pilorum, & eadem ad Venerem non mediocriter incitare poteſt. Rutilus color etiam calidam ſignificat humiditatem. Hæc autem à fonte virtutis altricis, nimirũ ab epate, ſuam originem habet: ideo dicitur epar eſſe fons amoris. Caliditas autem & humiditas etiam mobilitatem ſecum habet. Siccitas enim eſt immota, præſertim ſi cum frigore ſit coniuncta. Humiditas etiam ſola ſegnis eſt, niſi calore impellatur. Color purpureus pręſertim ſubobſcurus ſignificat ſanguinem ad melancholicum humorem vergentem. Neceſſarium eſt enim vt etiam optimè contemperati, continuis curis tandem atro ſucco perfundantur.

d Temperatiſsimi quique ſunt accommodiſsimi ad amores. Temperies enim vt & amor optimum vinculum eſt, illa corporum, hic autem animorum. Animorum verò conditiones corporaturam ſequuntur: at illi facilius capiuntur amoribus, qui ſic inter ſe diuerſi ſunt, vt tamen amborum coniunctio conueniat vtrique, idque etiam ad procreationem prolis conducit.

Iudi-

Iudicio Veneris concedat præmia formæ.
In lachrymas abeunt, gemitu pia pectora rumpunt:
Et sic vita perit, captant dum sponte labores.
Hîc quoq; iam fundens lachrymas non amplius esse
In viuis volui, cernens quàm plena malorum
Omnia sint. tūc ille iterū est hæc verba locutus:
Aequo animo perferre decet, quod ferre necesse est:
Nam frustra inuictum fatum deuincere tentes.
Sed modò perge vagi cæli cognoscere vires.
Phœbum fusca die peperit Latona noueno:
Nec mater natum vidit Cœúsue nepotem. a
Sol oculus mundi est, qui cunctis prospicit: vnus
Circumquaque videt, quæ summus continet æther: b
Nubila discutit & cælum mentemq; serenat. c
Atque sono dulcis cytharæ latè omnia ducit:
Nec non multiplici distinctis voce cicutis
Visceribus mundi vitales inserit auras:
Vnde vocauerunt illum quoque Pana bicornem,
Qui semper pleno naturam exornat honore.
In neatam assurgens feruentia tempora profert,
Atque sonans hypatam stringētia frigora brumæ.
Continuò varium sumunt sic cuncta decorem.
Inclyta Phœbæi vehementi luminis ictu
In terram spargunt fœcundas sidera guttas. d
Hunc discedentem comitantur numina cæli,
Assurguntq; iterum redeunti: nempe verentur

Eius

Eius magnanimum tanto cum lumine vultum.
Cuncta mouet propior summæ bonitatis imago. e
At quoniam ex humeris arcũ gerit atq; pharetram,
Ipse est terribilis cunctis, cùm sæpe sagittis

a Hæc explicatur ab Hom. in hym. Apollinis. Nouenus numerus ex fœcunda triade procreatur, & cùm sol procreationis author sit, illi maximè fuerit accõmodatus. Cœus terræ filius est à sopore dictus, & eius filia Latona à latendo, quoniam omnia torpere credebantur in tenebris ante lucem. cùm autem soli nihil occultum sit, sed lucẽ sua totam vniuersitatem impleat, & suum naturæ vigorem afferat, non est mirũ quod nec Latona nec Cœus lucẽ solis vidisse fingatur à poëtis.
b Orpheus κόσμου αἰώνιον ὄμμα solem appellat, à quo reliqua suam lucem acquirere creduntur. Est autem triplex sol secundum Platonicos, æthereus, animalis & diuinus. significat in rebus æternis intelligentiæ perspicuitatem. Diuina mens est immensi splendoris, cuius similitudinem quandam mentes factæ continent. Corporea verò lux est intelligentiæ quædam imago, siquidem veritatem quoque rerum demonstrat.
c Lux, cùm sit igneæ naturę proxima, calefacit: calor vapores in aërẽ uertit: aër sua natura perspicuus est & serenus: aërem externum, aër nostris corporibus inclusus, hoc est spiritus, imitatur, qui sentiendi & intelligendi est instrumentum: qualia verò sunt instrumẽta tales sunt actiones.
d In pulcherrimos ordines sol, veluti cæli dominus, omnia digerit, & ob id Homerus, Orpheus, reliquiq; poëtæ musicum eum esse scribũt. Nam ea clarissimorũ quoq; philosophorũ sentẽtia fuit, vt omnia symphonia corporũ cælestiũ crederẽt gubernari, inter quæ proculdubio sol principatum tenet: quòd si vero reliquæ stellæ suam lucem illi debent acceptam, ipse transferet earum vim in hæc inferiora: si propriam lucem habent, quemadmodum ratio postulare videtur, hæc virtute solis adiuta, per rerum intima suam vim diffundet.
e Omnem potestatem omnia diuinæ bonitati debent, & natura comparatum est, vt inferiora superioribus se summittant. Sol autem inter planetas supremam obtinet potestatem. Itaque planetæ soli superiores illi motũ epicyclorum suorũ accommodant, qui quidẽ anni spacio reuoluuntur. Veneris & Mercurij apogæa solis motum habent. Sol etiam semper est inter lunæ apogæum & lunam.

Perdat. ſed rurſus certo medicamine multos
Sanat: ſic Phœbũ hũc, interdũ & Apollona dicũt. a
Purpureo magnus Phaëthon indutus amictu eſt,
Distinctumq́; gerit nitidis diadema lapillis:
Et quanquam dextra tonitru cũ fulmine vibret, b
Imperio placido potius tamen omnia ducit.
Iuſtitiæ ſceptro totum moderatur Olympum.
In primis rigidi ſuadente cupidine regni,
Vllam non voluit prolem ſupereſſe Prometheus,
Ne quæ fortè patrem regni ſpoliaret honore:
Iupiter at fauſto recturus numine mundum
Expoſitus, tandem reiecit ab orbe parentem. c
Coniugio fruitur magnæ Iunonis, & almus
Omnibus eſt, recreans felici lumine terras.
Hic rerum dominos pulchra virtute coronat,
Prolificamq́; facit longæua in tempora vitam.
Heſperios Gallosq́; regit, confinia Reni,
Et regnum latè pingues extendit in ortus.
Sed nunc aſpicias durorum facta virorum.
Ecce homines feruens quorum præcordia bilis
Vrit, & exagitat corpuſque animumq́; furore
Indomito, pallet facies & lumina toruam
Effundunt rabiem, toti rapiuntur in arma.
Prælia nempe placent, fremitus, periuria, furta,
Raucè ſtridentes litui, clangorq́; tubarum
Horridus, & ſtrictum penitus per viſcera ferrum.

Iam iam tela volant: iam fumo & puluere cælum
Obtegitur. radijs candent adamantina corda
Martis, qui ſtimulos vltro properantibus addant.
Mars ſemper rapidus ſemper furibundus & atrox.
Iam cohibete viri ferrum, ſat in orbe doloris.
Hactenus omnia ſunt tetra ſubuerſa ruina.
Cuncta cadant ferro & flamma. perdit furor vna
Hora, ars quod multis virtuſque parauerat annis.
Inde fames atq; inde lues graſſatur in omnes.
Relliquias. [d] *bellum tantorum eſt cauſa malorum.*
O miſeros homines, quibus eſt diſcordia curæ.
Cunctorum vires etenim concordia fulcit,
Nec pugnare licet, niſi cùm pugnare neceſſe eſt.

a Homerus peſtem acerrimam Apollinis ſagittis in exercitum Græcorũ introductã eſſe ſcribit. Calor enim immoderatus omnia perdit: ſed quia moderatus cũcta recreat, ideò Phœbus etiã medicus habetur. Phœbus autẽ ab expurgando Apollo à perdendo videtur appellatus.

b Caliditas cum humiditate tonitrua profert: colore nimirum à contrario circumſtante in medias nubes ſe recipiente, qui coniunctus maiorq́ue factus, magno cum impetu erumpat.

c Orpheus in hym. Rheæ fabulam attingit. Veteres per Saturnum & Prometheum intelligebant Deum, in omni æternitate ſe contemplantem: qui in mentem ſuam ſpecies omnium rerum immenſamq́ue ſapientiam producat: per Iouem fœcundam eius beneficentiam mundi procreatricem & conſeruatricem, per Iunonem æthercam regionem intelligebant, quæ maximam inter corpora diuinam vim concipit.

d Eadem infelix conſtitutio cæli, quæ ad prælium accendit, ſterilitates affert & morbos. ſed animi, nimirum teneriores, primùm commouentur, deinde fruges læduntur, præſertim delicatiores, poſtea corpora animantium, quæ etiam fructuum pernicie defectuq́ue corrumpuntur.

Et quanquam insani est permagna potẽtia Martis,
Attamen inferior quòd sit sapiente Minerua,
Ex illo antiquo constat certamine, magnus
In quo Mars abijt Tydidis saucius ictu.
Captat adulterium Mauors: nec retia terrent
Subtili constructa manu, non ira mariti,
Non custos Veneris, qui conspicit omnia Phœbus.
Tendit in amplexus, pudor exuperatur amore. a
Sarmatici populi Pyroëntis luce fouentur,
Quod boreas reprimat media in præcordia flammas,
Quæque venena gerunt, animantia pasta rapinis,
Pharmaca quæ denso consumunt membra calore.
Saturnus terra cælique è semine natus b
Obtinet imperium triste in contraria mundi:
Nempe vbi decliui gentes in sole rigescunt,
Ac vbi cuncta acri nimium torrentur ab igni,
Inq́ locis medijs pariter non pauca gubernat.

a Venus humida, Mars calidissimus est: indeq́; prouenit indomita libido, quá nulla vis, nulla ratio coërceat. Vulcanus igneam vim significat, sol præcipuè rationem & intellectum.

b Quod veteres ex terra cæloque Saturnum, quemadmodum est apud Hesiodum, crediderint esse procreatum, hæc ratio fuisse videtur: melancholicus humor terreus est, cui conueniunt omnes operationes Saturni: sed ex aridis attolluntur tenuissimi vapores, quòd in ijs crassus humor paucus sit, & terrenis partibus inhærescat, solusque subtilis vehementer expurgatus ascendat, qui tamẽ siccitatis terrenæ vestigia quædam seruauit. Talis autem spiritus non tantùm memoriæ sed & intellectus est accõmodatissimũ instrumentũ, qui quidẽ è terra constantiam, è cælo promptitudinem habet.

Hîc infœcundos homines en cerne, senesque
Osores placidæ lucis, longoque marasmo
Vexatos, densa fœdos erugine nummos,
Pallorem, maciem, luctum, suspiria, mortes,
Bubones, vrsos, cetos atque omnia dira.
Mandragoras & Hyosciamos & tristia cuncta.

Quamuis in omni rerum natura substantiæ longè primam dignitatem habent, quia tamen tenuiores sunt & magis diuinæ, quàm vt crassis & lippis nostris oculis cernãtur, necessarium est, vt quibusdam signis quæ sensibus percipiantur, in earũ cognitionem deueniamus. Hæc autem signa sunt in nouem accidentium genera distributa, quorum substantia quæuis suum aliquem obtinet participatum, inter quę primus locus actioni meritò tribuetur: hęc enim est fluens ab ipsa rerum natura, proximius eam nobis ostendere potest, quæ nimirum sit illius quædam similitudo. Verùm quoniam ea quæ nobis proxima, veluti elementa & quæ ex ijs constant, magis sunt nota, ijs potiùs in posita vocabula sunt, à quibus ad alia quoque remotiora transferantur, & quia composita constant ex simplicibus, hæc veniunt in primam considerationem. Dicimus igitur ignem primùm calefacere, aquam humectare, reliquisque elementis suas proprias tribuimus operationes, quarum & corpora cælestia quandam similitudinem tenent. Facultatem autem agendi innatam, qualitatẽ appellamus, quæ tamen est cum substantijs vehementer coniuncta, & etiam cum figuris, si constant ijs elementa, quemadmodum Plato scribit. Sed quia res, tametsi diuersissimæ, commune principium habent, necessariũ est, vt magna quadam cognatione teneãtur, & hinc sunt variæ comparationes, quibus etiam sunt alijs aliæ priores, dum ad suum principium conferuntur. priora sunt incorporea corporeis, & inter hæc ea quæ nobilitate præcellunt, cælestia nimirum, inter quæ magnum est etiam discrimen. Quoniam autem hic præcipuè circa corporaturam versamur, & formæ corporatæ quatenus in materiam se extendunt, dimensionem acquirunt, quæ plurimam æqua potestate comprehendũt, maiora sunt, & etiã dignitate priora. Ita primum cælum & maximum & potentissimum est, & maxima vis est inter planetas solis. Ita iudicandum quoq; de reliquis, tanto nimirum esse potentiora, modò reliqua paria sint, quanto sunt maiora. possunt autem tam procul distare, quæ potentiora sunt, vt in-

teruallum tollat agendi poteſtatem. Cum magnitudine locus eſt coniunctus, qui quanti ſit momenti ſatis Ariſtoteles declarauit, dum eum formæ confert & cuiuſque conſeruatorem appellat. Differt autem locus à loco mundi poſitione, qua res aliæ ſuperiorem, aliæ inferiorem aliquem tenẽt. Cùm verò natura comparatum ſit, vt ſuperiora proxima ſint diuinis, meritò priorem aliquam authoritatem obtinuerunt: ſed vt ad qualitates, quæ nobis hîc præcipuè conſiderandæ ſunt, reuertamur, cùm cæli partes calidas & frigidas appellamus, ſignificationem ab elementis illuc transferimus, cùm tamẽ longè ſint diuerſa, tametſi ſimilibus effectis ſe demonſtrent. Sunt enim cæleſtes formę ſordibus materiæ prorſus expurgatę. Quamuis igitur qualitates elementorum ſtellis tribuamus, alias illic qualitates intelligere debemus: ita ſtellas firmamenti notis quoque planetarum explicamus, quoniam à nobis notioribus potiùs incipimus. Sed nos iam vim & naturã planetarum ſingulorum breuiter inueſtigemus, poſtea verò quas differentias acquirant conſiderabimus, & initium à luna quę nobis eſt proxima ſumamus. Hæc autem cùm ſit infima cum inferioribus maximè conuenit elementis, & cum nobis proxima ſit, eius euidentiſsimam ſentimus virtutem, præſertim in eas res cum quibus maximè conſentit. cum quibus autem conſentiat manifeſtum erit, ſiquidem incrementum humorum & maris motum per lunæ circuitum perpendamus. Verùm non videtur alienum à ratione quòd philoſophi quidam dicunt, etiam cælum ex formis elementorum ſed puriſsimis conſtare perfectiſsimeque contemperatis, ſic vt eas natura non patiatur diſſolui: ergo terrenam quandam ſoliditatẽ ſidera continent, qua ſunt etiam magis conſpicua quàm reliquæ cæli partes, continent quoque perſpicuum aquę nitorem, vitalem aëris puritatem & lucidum ignis colorem, ſed nõn æqua menſura. Quod autem luna, cùm infima ſit, terræ ſiccitatem non imitetur potiùs quàm humiditatem aquę, mirum non eſt: nam immota forma corporibus, quibus nunquam quieſcendũ eſt, perinde nõ conueniebat, quamuis, vt iam diximus, ſuam quoque cęleſtia corpora ſoliditatem habent. Humectat igitur luna potiùs & leniter calefacit. Vnde quoque licet intelligere cum quibus alijs rebus maximè ſit coniuncta, nimirum cum ijs, quę proximius ad aquæ naturam accedunt: vt pituita hominesque pituitoſi, & ea cuncta quibus pituita fit & incrementum ſumit, inter partes corporis cerebrum, venter, in ſexu fœmininus, inter ætates prima, inter tempora hyems & nox, inter regiones ſeptimum clima, in magnitudine quę ſunt maiora, inter qualitates animorum, ſegnitia, torpor, mollities, agendi impotentia, procliuitas quiduis perferendi, ſapor inſipidus, color albus: deinde ſomnus profundus, aliaque eius generis, quę ex his facilè poſ-

ſunt

ſunt cognoſci. Lunę proximus eſt Mercurius, aquę quodammodo quoq; ſimilis & aëri, nimirum varius & inconſtans, quemadmodum ex eius multiplici motu intelligere licet: non quòd ſui diſsimilis ſit, ſed quòd propter varios orbes, quibus circumfertur, diſsimilis videatur, & ob id etiam nobis diſsimilia proferat effecta. Mutabilitatem igitur in aërem reliquaque corpora & in animos inducit: tenuem ſuccũ ſpiritumque proximum gubernat, circa quem magorum pręſtigiæ verſantur, homines aſtutos & quę ſunt his cognata, corporis agilitatem & eloquentiam ingeniíque tantam promptitudinem affert, quę celeritate motus etiam futura comprehẽdant. Venus Mercurio ſuperior eſt, & aëris ſimilitudinem quandam gerit: nam ſuam quoque caliditatem & humiditatem habere dicitur, vnde procreationi rerum non mediocriter conferre putatur, cum qua ſunt etiam amores coniuncti. Ergo ſanguinem & ea quæ ſanguinem gignunt, fouet Venus, dulci tamen pituita lente perfuſum, à qua ſpiritus etiam copioſior producitur, qui non parum ad Venerem impellit. Molles igitur adoleſcentes & calidi ſub Venere ſunt, inter partes humani corporis epar, tempus vernum & antemeridianum, inter climata quintum & ſextũ, ſapor ſuauis, color lacteus roſeo ſuffuſus, animus blandus, facilis, beneuolus & ad ſocietatem paratus. Sol pręſe fert igneam quandã naturam: nam eius acceſſu cũcta ſuccẽdi, diſceſſu refrigerari ſentimus: inter humores igitur bilem nondũ tamen aduſtam habet, feruentem iuuentutem, virilem ſexum, cor ſpiritumque vitalem, clima quartum, robur & promptitudinem in agendo, ſenſuum & ingenij perſpicuitatem, cui nimirum ſplendor eſt admodũ affinis, magnanimitatem eius magnitudini potentiæque conſentaneam, ſaporem acrem cum quadam ſuauitate, colorem flauum. Multo calidius adhuc quàm ſolis eſt rutilum Martis ſidus: quamuis magnitudine dimenſionis & virtutis non poſsit cum illo conferri. Non eſt autem abſurdum ignem igni calidiorem pronũciari, ſiquidem verum eſt quod vt philoſophi quidam aſſerunt formas, ſiquidem minus perfectæ ſunt, aut ſaltem proprias elementorum qualitates ſe remittere vel intendere poſſe: deinde ignis æthereus non eſt qualis hîc noſter, ſed ex quatuor elementorum puriſsimis formis tanquam contemperatus, in quo tamen vna ſuum principatum tenet. Ergo tam ſol quàm Mars igneus eſt, ſed hic magis acris, idq; eſt quòd Pythagorici geminatum ignem in æthere collocarũt: Ad Martem igitur aduſta bilis pertinet, & quęcunque eam accendunt, inter quæ numerantur etiam quę venenatũ habent calorem, eius eſt etiam veſica fellis, peſtilenteſque feruore morbis, iuuentus ſumma, tempus poſt meridiem proximum, quodq; æſtu caniculæ eſt accenſum, aquilonij populi, quibus circumſtans frigus effluere calorem non ſinit, ſed

intra præcordia comprimit, cùm alioqui multum natura contineant, & eum calidorum alimentorum vsu continuò non mediocriter augmentent. Constat autem ignem esse promptum, agilem, potentem, ideoque Mars reddit animos etiam audaces, præsertim si corporis robur illis sit adiunctum. Iracundia quoque fortitudinis instrumentum est, quam Mars bilis agitatione commouere solet. Rebus autẽ duris, asperis, saporibus acribus, colore rutilo delectatur. Si fuerit bene constitutus cum sole Iouéque viros eximios facit, alioqui crudeles, latrones, & infelici præcipitique leto destinatos. quamuis enim stellas malorum effectrices non esse multis argumentis Plotinus demonstrat, tamen quod suapte vi malum non est, in materia minus accommodata perniciem afferre solet, vt rebus marcescentibus calor solis: deinde etiam instrumentis ijs faciliùs abuti quis potest, quorum opera vel in hanc vel in illam partem ab exacta deflectunt mediocritate. Ita Martis potiùs radijs abutimur ad temeritatem & audaciam promouendam, quàm ad timiditatem & ignauiam arcendam, Veneris blando lumine potiùs ad nimios amores fouendos, quàm ad rixas & inimicitias tollendas. quamuis autem morbi, pestes, euersiones proueniant à causis naturalibus & animos etiam corporaturæ coniunctos attingant, catenus tantum mala dici possunt quæque, quatenus cum ijs ad malũ exitum se voluntas coniungit. Ita voluntatis opera mala sunt, non autem naturæ, quorũ etiam vltimus finis, à Deo propositus, suam vtilitatem habet: vnde facile cognoscere licet, quomodo stellæ malorũ operum causæ sint effectrices. Suprà cælestes ignes iterum collocatus est æthereus quidam aër. Iupiter enim, cùm etiam longius à nobis distet, tam vehementer nec calefacit nec exsiccat, sed potiùs caliditatẽ & humiditatem moderatam affert, quæ sit vtraque ad obeũda feliciter vitę munia vehementer accommodata. Eius autem vim purus noster sanguis continet, & illę spiritus, qui vegetatricis animæ dicitur instrumẽtum: ætatem mediam climáque sextum gubernat, suaui sapore rubróque colore delectatur, & vbique sequitur perfectam mediocritatem, cum reliquis virtutibus, & cum iustitia maximè coniũctam. Est autem Iupiter, propter mediocritatem aptus ad rerum humanarum gubernationem: quemadmodum enim calido humidóque moderato corpus maximè iuuatur ad obeundas suas actiones, sic anima corpori colligata, simile quoddam instrumentum requirit, ad has medias actiones, in quibus virtutes, quas morales vocát, sunt collocatæ. Quamuis autem eò vis omniũ corporũ cælestiũ confluat, Iupiter tamen inter alia suum illic imperium obtinet. Saturnus planetârum supremus & à nobis remotissimus, minus hanc corporaturam calore cælesti perfundere potest, & etiam sua natura frigidus habetur. Defectus autem vehemens

caloris, expreſsis partibus tenuioribus, etiam exſiccat. Humor itaque melancholicus eſt Saturninus, ſplen, oſſa, ſimiliaque, frigida ſcilicet & ſicca, ſenectus, autumnus, veſper, torrida zona, nimirum humiditate caloreq; interno nimiū ab externo conſumpto. Sed & vehementer gelidas regiones Saturnus habet: expreſſo ſcilicet, vt iam dicebamus, tenui ſucco, caloreque à frigiditate deuicto. Saturno res denſæ, ſapor acidus placet, & plumbeus color. Sed cùm inter planetas ſupremum obtineat locum, animę ſupremis actionibus, hoc eſt, contemplationi, dicitur accommodatus: quia verò nimia cogitatio de rebus arduis vires corporis frangit & externa bona negligit, ideo debilis eſt Saturnus & infortunatus. Non autē tantùm nati ſumus vt res abſtruſas inquiramus, ſed vt curam etiam eorū quæ ad vitam pertinent ſuſcipiamus. & ideo, quia varijs functionibus deſtinati ſumus, varia nobis dedit inſtrumenta natura. Firmamentum admodum multiplex eſt, & quia ſupremum puriſsimum eſt, cumque maximas contineat ſtellas, quemadmodum ex interuallorum immenſitudine cognoſcere licet, plurimum etiam poteſt in hæc inferiora. Videmus itaque planetas ex firmamento vires concipere, quibus hæc inferiora non leuiter immutent. Cui enim naturalium rerum conſideratori, Pleiadum, Hyadum, canum, aliarumque plurimarum ſtellarum virtus non eſt nota: quamuis illa ſuprema minori cum his infimis affinitate videantur eſſe coniuncta, tamen eorum virtus ab incorporea quadam poteſtate concepta, continuò per ſua media deſcendit ad ima, ſuamq; quandam corporaturam acquirit. Vbi verò partes elementorum & ætheris quàm maximè conſpirant in vnū, & illæ partes copioſius, quæ reliquis ſunt præſtantiores, hinc pulcherrimum quiddam & optimum maximæq; prouenire virtutis eſt neceſſe. hinc adamantis inuicta durities, & coruſcus color: hinc plenus viror & gratia ſmaragdi, hinc hyacinthi mirabilis contra tonitrua poteſtas, hinc omnium herbarum vires, hinc animantes & homines, ſingula ſuis analogijs elementorum & cæli: & quoniam alia plus ætheris, alia minus continent, hinc eſt quòd alia ſint alijs ſuperiora. Loquor autem hîc ſemper de cauſis naturæ, cui ſcimus liberam eſſe poteſtatem priorem. Quiſque tamen potiùs natiuum ſuum genium per omnem vitam imitatur, & ad eius quoque ſimilitudinem liberos ſuos producit et alit: ita Saturnini à Saturninis fermè parentibus procreantur, ſub imperio Saturni concipiuntur & in lucem eduntur cunctaque vitæ munia tranſigunt, niſi quatenus voluntas pro libito motum naturæ gubernat. à conceptione, & etiam à principio naturæ continua rerum naturaliū ſeries contexitur, vt idem quòd ſtimulauit ad procreationem, conceptum fœtum foueat & in lucem educat, & hoc illoue curriculo vitæ ducat ad mortem: niſi quatenus,

vt iam sæpe diximus, voluntas hunc ordinem naturæ peruertat, & semper tamen interim ineuitabilis ordo voluntatis diuinę manet. Singulorum omniumque natura suis vicibus in pulcherrimum ordinem à principio in finem intra ambitũ prouidentiæ Dei decurrit, & quanquam in singulis fermè semper aliquid superat & superatur, in omnibus est vniuersi iusta mensura: sed nũc adhuc naturam perpetuam stellarum consideramus, postea differentias quas acquirũt explicabimus.

Erronum proprias dixi nunc ordine vires,
Sed nunc spectemus fixi quoque sidera cæli.
Zona hæc bis senis pulchrè desculpta figuris
Circuit obliquè en mundum, subtusq; vagantur
Ac varios peragunt errantia numina cursus.
Lanigerum primo Deus est dignatus honore:
Nam sub vere nouas vires hæc omnia sumunt. a
Respicit hic vacuum suscepto pondere dorsum,
Hellespontiacis quod nomen tradidit vndis.
Vertex Saturni & Mauortis lumine fulget:
Ast os Stilbontis, pes Martis luce coruscat.
Cauda Dionææ Veneris depicta colore est.
Europæ sequitur vector: qui poplite flexo est,
At si spumosum pedibus diuerberet æquor,
Belligeriq; Dei magis iste insignia gestat,
Intuituq; refert veteris vestigia flammæ. b
Iam septem gestat celebres in fronte sorores,
Quas magnus quõdam ex Æthra genuisse putatur
Atlas: sed pietas euexit in æthera summum.
Seu sint fraterno, pluuio seu nomine dictæ,

Nunc

Nunc etiam mortem quia deflent fratris Hyantis,
Exortu densis obducunt aëra nimbis: c
Omnesq́ in torua tauri sunt fronte repostæ,
Cuius terga latent: fuit ista figura natantis. d
Ledæi iuuenes, felicia sidera nautis, e
Fraternos referunt amplexu perpete amores.

a Tellus hiberno frigore multum altricem spiritum & succum colligit, qui verna siderum fertilitate exeat in procreationem diuersarũ rerum. Cùm enim quatuor elementis opus sit, & ignis procul à nobis occupet supremam regionem, necessariũ est eum è cælo deorsum deferri, qui in inferiores se massas elementorum inserens, eas exagitat in varias analogias, motu positioneque siderum adiutus, & ita proueniunt diuersæ contemperationes, quę vel ad hanc formam vel ad illam sint accommodatæ. Non autem tot formæ sunt quot sunt temperaturæ, cùm hæ continuò mutentur, non autem illæ, nisi temperaturæ vel excessu vel defectu modum excedant. Frequenter etiam confunduntur elementa, nec tamen nouam misti formam acquirũt, sed integram suam retinent naturam: nam singulæ formæ substantiales, quanquam non semper parem, iustam, hoc est functionibus suis accõmodatam, temperiem elementorũ requirunt, quæ si contigerit, illæ non possunt ex officio suo, statim nõ adesse. Prouenit autem potiùs verno tempore, cùm blandus calor reliquas qualitates optimè commiscet.

b Aldeboram, dicta stella, refert naturam Martis & Veneris: hanc & oculum Tauri licet appellare.

c Succulæ non tantum exortum, sed etiam occasu vespertino tempestates cient: quia verò humiditas fertilis est, ideo finguntur Bacchum nutriuisse.

d Iupiter sub huius forma Europã amauit & vexit, vt est apud Ouid. 6. Fast.

e In tempestatibus, incumbunt nauibus interdum tanquam quædam stellæ, quæ si geminæ, Castorem & Pollucem vocabant. Hi. n. inter nauigandũ credebant in cælum translati vt est apud Ho. Si vnica esset Helena dicebatur eorum soror. Infelix hęc est: illi felices: quoniam omne malum diuisum minus est quàm coniunctum. Sidus quoque geminorum felix putatur, sol enim cũm eo amœnissimum anni tempus facit.

Nec tamen omnino ſimiles ſunt: nempe negauit
Hæc natura pares: ſed mores Caſtor auitos
Exprimit & patris: at Pollux quoq; prælia miſcet.
Stilbontem pedibus reddunt, & vertice Martem
Alter, ſed coxis ſimilis Phænonis vterque eſt.
Proximus inſequitur geminos, qui torrida claudit,
Hydræ retrogradus ſocius: ſæpe iſte ſerenum
Educit Boream, miſcentem frigora flammis,
Atq; inſculpta gerit celſæ preſepia fronti,
Et geminos Aſinos: tenui qui lumine, cæli
(Si ſint conſpicui) ſemper ſunt ſigna ſereni: a
Sed ſi euaneſcant, pluuius denſeſcit in imbres
Aër vel flatus, & ſi modò luceat alter,
Signum eſt ventoſos illum obſcurare vapores.
Poßidet hos Pyrois pariter cum Sole: pedesq́ue
Mercurius finxit, nubem Mars atq; Diana. b
Spiritibus calidis Theumeſius Herculis hoſtis,
Obuerſus cancro eſt, regali & pectore celſos
Infractosq́; animos profert: Saturnia collo
Signa gerit tergo, nec non Pyroëntis aduſti:
Phænonis Venerisq́; in cauda inſignia monſtrat,
In coxis Veneris nec non Hermetis: & iſte
Nempe ſibi ſimilis, ſemper turgentia geſtat
Viſcera, terribilemq́; iubam vultusq́; ſuperbos:
Nec ſeruire poteſt, ardetq́; cupidine regni.
Amphitroniadi at maior conceſſa poteſtas.

Omnis virtuti tandem violentia cedit. c
Expulsa ex hominum cœtu pia virgo nefando,
Nunc cælo tantum fruitur, Iouis alma propago;
Quæ quondã in terris latè cùm sceptra teneret,
Floruit imperium. verè fuit ille beatus
Tunc populus: virtus etenim fœcunda vigebat, d

a Aspiciendi sunt potissimum in medio cælo: nam iuxta finitorem, propter continuos vapores, omnia sunt obscura. Aêr concretus in nubes, & stellas, præsertim minores, obscurat, & pluuias gignit. Habent autem lucem exiguam aselli.

b Sunt in hac parte cæli tanquam nebulæ quædam, à quibus Martis & lunæ vis descendit.

c Caliditas, quoniã natura sursum in amplitudinẽ fertur, & quoniam mens fermè corporis motum sequitur, animos magnos, promptos & superbos facit. Est autem calidissimum Leonis sidus. Sed animus humanus naturæ superior, eam vel in hanc vel in illã partẽ flectere potest.

d Iupiter exactam temperiem seruat, temperantia verò iustitiã producit: nam qui in se nec excessum nec defectũ aliquem admittit, quomodo posset eum in alijs laudare, quomodo posset æquo animo ferre, quosdam pessimè meritos maximã, alios viros optimos minimam partem in Rep. obtinere. Iustitia verò communem felicitatem secum affert. reliquas enim virtutes per animos omnium ciuium serit, fouet, & ad suum incrementum perducit, cum quibus est vita beata coniuncta: animus suis omnibus bonis abundans, corpus etiam optimè compositum reddit, tum quòd sit cum optimè composito coniunctum, tum quòd viuendi modus ad sanitatem & firmitudinem plurimum valeat: corpore quoq; bene cõposito quàm optimè vtitur ad eas operationes omnes, quibus externa bona facillimè cõparentur. Quæ verò Resp. bonis omnibus animi, corporis & externis abũdat, nõ potest non esse beata. Deinde qui Iouis filiam Astræam habẽt in honore, non possunt Ioui non esse commendati: & in eo sunt omnia momenta felicitatis communis collocata. Dicitur autem Astræa filia Iouis, quòd illi sit amica. Nam ei contra patrem Titanum auxiliũ tulit. Fuit autem Astræi & Auroræ filia: per Astræum cælum veteres significarunt, per Auroram, indicium manifestum eius pręcipuę virtutis. Cęlitus omne bonum, & descendit & significatur.

Relligio, pietas & amor, communio vitæ
Incorrupta, modus rerum, inculpata voluptas.
Iustitia at postquam violari est cepta, per orbem
Cunctorum pariter sunt semina iacta malorum,
Quæ facilè innumeras possint producere pestes.
Magna est fertilitas scelerum, minimoq́; præaltas
Tempore radices figunt, virtusq́; labores
Postulat assiduos: nam magno constat honestum:
Vt preciosius est cunctis. Ast optima virgo,
Cùm vidit nullas scelerum superesse medelas,
Tali post multas lachrymas sermone locuta est.
Tam bene de vobis meritam me excluditis? vlla
Non erit in terris mihi sedes? vndique cuncta
Iam sunt plena malis. nam sunt venalia iura,
Concessumq́; nefas simul est, & nullus honesti
Respectus reliquus: pro me iam nempe recepta est
Pandora [a]. *hæc miseras perdet cũ corpore mentes.*
Ast ego vos tuto, placido iustóque regebam
Imperio: reges communia commoda tantùm
Curabant, populus pacem, patriæq́; salutem.
Mecum relligio est, pietas, prudentia, robur,
Mecum est temperies, cum fertilitate bonorum
Cunctorum eximia. nunc prælia, pestis, egestas,
Omnia perturbant, nulla est reuerentia recti.
Prò dolor, haud violor tamen, [b] *incorrupta virago*
Semper ero: pater ipse Deûm me nempe tuetur.

Illuc confugio. cumq; hæc dixiſſet, ariſtam
Decerpſit læua magnam, terrasq; reliquit,
Pennis alta petens: [c] *ſubitoque à patre petiuit,*
Vt meritas luerent pœnas: cui Iupiter inquit,
Iratus terris, nunquid conceſſa poteſtas
Eſt tibi nata ſemel, meritis vt quæq; rependas,
Excluſa vt pœnas, exceptaq; præmia reddas? [d]

a Pandora à Prometheo ex luto facta. Per Prometheum veteres interdum Deum intellexerunt, qui omnia ex re viliſsima, nihilo ſcilicet, formauit, interdũ hominem ſapientem, qui alter Deus eſt, & alioqui viles animos hominum diſciplinis varijs exornat. Fuit etiam Prometheus aſtrologus, qui primus ſtatuas dicitur finxiſſe: is cùm in Caucaſo perpetuò ſtellas obſeruaret, à Mercurio fingitur ibi, quo pabulũ aquilæ ſit, adalligatus. Aquila namque ſublimem ſignificat contemplationem, quæ non mediocriter diſcruciare ſolet: dicitur etiam ignem Ioui furatus, quòd rerum cæleſtium ad nos tranſtulerit cognitionem, maximè circa res futuras, vnde etiã nomẽ eſt ſortitus. verùm homines bonis rebus malè vtuntur, & pernicioſiſsimum quippiam eſt ſcientia cum reliquis vitijs coniuncta. per Pandoram ſignificarunt, hominem externis quibuſdam ornamentis internam perniciem aſtutè celantem, quo nihil deterius eſſe poteſt.

b Iuſtitia diuina nunquam violatur: nam qui eam violare cupiunt, eo ipſo iuſto ſupplicio ſe ſummittere coguntur, qui ſecundum virtutẽ viuunt, ab ea præmia conſequuntur. Itaq; quicquid agamus, facta noſtra ſuam à iuſtitia compenſationem habent: ſed quia potiùs facti ſumus vt felicitatem percipiamus, quàm vt ſupplicijs afficiamur, præmijs reddendis iuſtitia libentius eſt occupata, adeoq; dicitur in cælum commigraſſe, vbi nec peccatis nec pœnis eſt locus.

c Quoniam per iuſtitiam in cælum fit aſcenſus, virgo eſt alata & ſpicam habet, quam aſtrologi meritò fortunatam dicunt: propter Saturnum cum Venere per Mercurium bene conſociatum.

d Quanquam eſt maxima vis miſericordię Dei, tamẽ hæc ſe cupit iuſtitię ſemper accommodare, nec altera vult vnquam alterã officio ſuo priuare, ſed vtraq; diuinam pariter prouidentiam exactiſsimè ſequi, cuius inuictum ordinem perturbare nullo modo licet. rerum autem in-

corpo-

corporearum corpora quandam similitudinem gerunt. Astrologi verò hanc similitudinem in virtute quàm in configuratione stellarũ potius considerarunt: Virgo autem tũ propter æquinoctium, tum propter alias causas cum iustitia potest conferri. Temperies enim temporum, corpora similia facit, quæ quidem animi ferè sequuntur, quanquam interim liberam potestatem habent.

Nunquid habes spicam fœcũdam? nonne Bilantem?
Exacta vt semper mensures præmia factis?
Dixit, & in signum natam inter sidera sculpsit,
Quo in mentem veniant primæui tempora mundi.
Hermes illustrat spicam Phænonque Venusque.
Virgo tamen potiùs Stilbontis lumine clara est.
Eiusq; ante pedes posita est quoq; proxima Libra,
Suspendens paribus spacijs noctemque diemque.
Et tamẽ altera lanx obliquum ascẽdit ad Anguem:
Atera iam medio procumbit tramite solis.
Illa Iouis nec non Stilbontis lumine plena est:
Ast hæc Hermetis radijs & Saturninis.
Post Librã Arthenidis vindex, Orione perẽpto, est.
Cui Iouis & Martis præcordia lumine turgent,
Tinctaque pestiferi Pyroëntis cauda veneno est:
At nodi Veneris Saturni & lumine fulgent,
Sed nebulæ Martis, radios miscente Diana.
Scorpion insequitur, tincta iam lacte sagitta,
Toxophorus, dicũt quem clara Euphemide natum.
Arthemis & Pyrois iaculum, sed Iupiter arcum
Et Mars, & pulcher faciem formauit Apollo,

Bella-

Bellatorq́ue Deus, Phænonq́; & Iupiter almus
Crura, Venus caudam nec non Saturnus equinam.
Mutua nam faciles iungunt ſubſidia diui,
Et ſic concordi virtute hæc cuncta gubernant.
Toxophorus ventos ſæpe portendit & hymbres.
Poſt hunc reſtituit primùm diſpendia lucis,
Ægoceros, varij ſculptus ſub imagine Panos: [b]
Cuius tincta Iouis Saturni & lumine cauda eſt.
Phoſphorus & Pyrois præfulgida cornua finxit. [c]
At pincerna Iouis, pluuiam pro nectare fundit
In terram, quanquam aſpergit Phaëtontis Olympo
Relliquias, nec non Saturni. [d] *aſt Vrna dicata eſt*
Aurea Phænoni ac Stilbonti, & femur vterque
Sculpſit: ſed Gemini diſtortò fune reuincti,
Vectores teneri pueri magnæque Dionæ,
Dum quodam dirum fugerẽt Typhona gigantem, [e]
Parua luce micant: minor hic en tendit ad Arcton.

a Ideo cor Scorpij audaciam creditur adferre, propter vtriusque planetæ caliditatem, & Iouis etiam fortunatam magnanimitatem.

b Pan deus vniuerſitatis, cuius forma Iupiter eſt delectatus, quẽadmodum etiam ſcriptum eſt in Timęo Platonis: eſt autem etiam varius Capricornus.

c Ideo violentam mortem portendit: temeraria nanque libido talem exitum habere ſolet.

d Ideo adferre poteſt memorabilẽ eruditionem: Saturnus enim profundam cõtemplationem, & eam Iupiter facilem & fortunatam facit.

e Typhon ſignificat etiam turbinẽ, qui Veneri inimicus eſt, cùm omnia diuellat ac diſtrahat, Venus autem arctam coniunctionem requirat.

Andromedéq; premit, sed maior pergit ad Vrnam.
Stilbon depinxit notij, Phaëtonq́; Bor-
Tergora: sed Phaëthon funem & Saturnus: at illa
In nexu rutilo Pyroëntis lumine fulget.
Ast Helice celso & mundi cynosura sub axe,
Tardo circuitu possunt ostendere, vasti
Qua deceat vos arte vias cognoscere ponti.
Græcos illa suos maiori luce regebat.
Pigrior ista vagos Phœnices vexit in altum:
Atque est conspicuum signum constantis amoris,
Namq; suam vita dominam est & morte secuta.
Atq; Helice varios casus demonstrat, & illos
Qui grati superis fuerint sua dona referre.
Æstuat, à nimio nondum recreata labore.
Et tamen exiguo est operi præfecta: [a] *Deorum*
Nempe pater iustis vicibus cùm cuncta gubernet,
Mollia vult grauibus compensari ocia curis,
Et semper placidam post curas esse quietem.
Altera adhuc tristes cauda portendit amores:
Namq; est præteritæ tam magna potentia vitæ,
Vt sese immensum post mortem extendat in æuum. [b]
Inflexam caudam tendens Vrsam inter vtramque
Horridus obliquo attingit Draco Cephea gyro,
Sed validè excelso calcatur ab Hercule ceruix,
Quæ Iouis & Martis, Saturni, & lumine turget
Stilbontis: similis stella hæc en fulgida Marti est.

Sed facilè agnoſcas iſtum non eſſe Draconem,
E' cuius diris orti ſunt dentibus, alta
Quorum ſubſidio conſtruxit mœnia Cadmus,
Non in Delphuſa quem ſuſtulit vltor Apollo, c
Heſperidum ſed qui ſeruauerat aurea mala.
Omnem hic Zodiaci nunc pectore circuit axem.
Signiferi medio Theſeus Ophiuchus in orbe
Paſſis ſtat pedibus, neque preſſus Scorpius audet
Pungere letiferæ victorem verbere caudæ:
Eiuſque accendunt faciem palmamq́ue ſiniſtram
Diuerſis radijs pariter Phænonq́ue Venuſq́ue.
Vſq; adeò nihil eſt, ſummo nec in æthere purum:
Et cælum terris, & aquis confunditur ignis. d
Anguis Saturno ſacer eſt Martiq́ue. reflexam

a Vrſa maior altera humero, & tota cauda Martem refert: minor extrema cauda Saturnũ & Venerem: vtraq; minimos circuitus conficit.

b Qualis eſt quiſq; moriens, talis poſt mortẽ manet: nec eſt animæ ſoli pœnitentiæ locus. Eſt enim tanquam naturale quoddã fœdus animæ cum corporatura initum, vt vna nihil faciat ſine altera. Eſt animæ verò præcipua natura illa libera poteſtas, in qua culpã collocamus. Hæc igitur ſiue bona ſiue mala ſit, poſt mortem in contrarium ſe non conuertit: quamuis alioqui à ſordibus vitæ præteritæ poſsit expurgari.

c Indicio eſt Hercules proximus à quo poëtæ fingunt eum interemptum.

d Magna quęſtio eſt apud philoſophos an cælum ſimplex quædam eſſentia quinta ſit, vt Ariſt. putat: an igneũ, vt Plato: an compoſitum, vt alij. certè nõ poteſt eſſe ſimplex cùm partes habeant diuerſas vires. Non tamen ita compoſitum eſt quemadmodũ hæc quatuor elementa, quorum differentię contrariæ in mutuam perniciem tendũt: quanquam hic inferius etiam alterationes ſunt, quas intentionales appellant, citra corruptionem. Sic diaphanum à lumine & à ſcientijs anima quodammodo mutatur.

Extendit latè caudam qua ſemita latè
Signata eſt, volucriſque Iouis iam proxima telo eſt.
At caput in celebrem producitur vſque coronam,
Hanc quæ Stilbontis Veneriſque coruſca colore eſt.
At dextra Arctophilax iſtam quoque tãgit, & alti
Solſtitij genibus cyclum, quà virgo Bilanci eſt
Proxima: ſed læuam maiorem extendit ad Arcton.
Arcturus læuo eſt poſitus ſub crure Bootes,
Qui Iouis ac Martis [a] *feruenti luce redundat.*
Ecce virum cernis, dextra qui portat habenas,
Ac pedibus torui conculcat cornua Tauri:
Hunc per quem latè ſe effundit lacteus orbis.
Hic Iouis ex humeris nutricem geſtat, & Hœdos,
Qui Martis nec non Stilbontis lumine, denſis,
Cùm Sol Toxophoron tenet, implent aëra nimbis:
E' ſolo hic rutili Vulcani ſemine natus
Fertur, ſed nequeant vni producere diui
Quicquã, nempe operam variam natura requirit. [b]
Bellephoron alijs, Trochylus me eſt iudice, claræ
Callithoæ, primos docuit quæ iungere currus.
Atlas progenuit quoque ſeptem è Pleione natas,
Alcyonam, Meropen, Electren, atque Celeno,
Taygetam, Steropam clarã & Ioue cõiuge Maiam.
Atq; has crudelis dum perſequeretur Orion,
Iupiter exiguo in ſpatio, ſuper vltima Tauri,
Impoſuit cælo, Perſei ſub crure ſiniſtro:

Atque

Atq; has illustrat pariter Mars atque Diana, c
Ferméque ostendunt, deceat quo vertere terram
Tempore, maturæ quo decerpantur aristæ. d
Perseus æthereo perfusus lacte, recuruo
Crure manuque ferum sese componit ad ictum. e

a Ideo ventosum hoc sidus habetur, quòd ab eo multus humor in aërem mutetur, vnde fiat vt hic arctatus tumultuetur. Arcturo simi-les Hœdi. nam Mercurius non minus quàm Iupiter ventos ciet: sed quia frigidior, ijs etiam frequenter imbres miscet.

b Omnia conspirant in vnum & singula plurimorum opem requi-runt: imò nihil est in tota rerum natura, quod non reliquis omnibus, si non proximè, saltem ordine causarum conducat.

c Hinc est, quòd aquilones hyemales portendāt, hinc est etiam quòd Iouem nutriuisse dicantur, & Maia Mercurium peperisse: aëris verò constitutionem, quemadmodum iam sæpe diximus, nostra corpora-tura & hanc animorum fermè mores imitantur.

d Oriuntur & occidunt cum sole in fine mensis Aprilis ἀκρονυχῶς au-tem occidūt mense Octobri. Oriūtur autē ἡλιακῶς circa tēpus messis.

e Poëtæ nobis Persea, tanquam virum fortem proponunt, qui Me-dusæ formam, qua tamen alij in stuporem vertebantur, contempsit, Mineruæ Mercurijque præsidio fretus, ac adamantina falce, quam Vulcanus fabricarat: his enim sapientia fortitudoq; significatur: nam solū robur parum valet, nisi cum prudentia sit coniunctum. Itaque gi-gantes ipsos Pallas demonstrata facie Medusę in saxa facilè conuertit. Præcipuum autem ornamentum fœminarum est in capillis, quos per lasciuiā Medusæ poëtæ fingunt in serpentes esse conuersos. pernicio-sa enim esse solent ornamenta vitæ externa, si quis illis turpiter abuta-tur: sed viris probis, omnia materiam gloriæ præbent, quæ per talaria Mercurij intelligi potest. nihil est enim quod quem facilius in sublime vehit: sed oportet etiam Mineruæ speculo semper vti, quo etiā ex no-bis sese reliqui cernant, & admiratione nostræ virtutis perditi pro-priæque conscientiæ stimulis perculsi, tanquam obstupescant. Om-ne verò poëtarum institutum in tradendis fabulis fuit, vt vel myste-ria naturæ, vel præcepta vitæ, quadam iucunditate condirent, & qui-busdam illecebris homines sensim ad altiorem cognitionem induce-rent. Sed nihil est quod nos melius rerum maximarū admoneat, quàm corpora cælestia, quæ cōtinuò per vniuersum orbem cernūtur, ideoq; viri magni cælo quoq; sunt inscripti.

Falcem habet in dextra, serpentiferumq́; sinistra
Ostendit vultum. postquam pulcherrima Gorgon
Saxifica cunctis facie metuenda Medusa,
Vastaret Libyen, Danaes, tum Persea natum
Hortatur patriam vt tam tristi clade leuaret,
Pacta colubriferum vultum Tritonia virgo,
Quo sit Phlægræos immutatura gigantes.
Hæc quoq; nec iustas penitus satiauerat iras,
Quòd polluta forent, stupro pia templa nefando,
Concessitq́; Harpen ex Argi cede madentem,
Ac leuibus iuuenem talaribus induit Hermes,
Et speculum à tergo suspenderat ipsa Minerua.
Auersumq́; volare iubet, ne Gorgona cernens
Intereat. sed cùm sese prior illa videret
In speculo, subitò riguit, Perseusq́; reuulsa
Ceruice alta petit, quem Pallas in æthere fixit,
Præclari vt maneat signum memorabile facti.
Non tamen in lapides Gorgon vos splendida mutat,
Nam Iouis in genibus posita est quæcunq; potestas. a
Saturni & Veneris radijs oculusq́; sinister b
Gorgoneus, nec non Persei quoque terga relucent:
Ast Hermes acuit Mauorsq́; ad prælia falcem.
Post hunc Cassiopeia sedet, stat deinde maritus,
Et Iouis ex humero & Saturni insignia gestat.
Ambo sunt mæsti, nam sese Cassiopeia
Cum Nereidibus præferret, ab Hammone iussa est,

Natam

Natam terribili ceto præbere vorandam.
Tempore quo Perseus rediens à Gorgone victor,
Fortè per Æthiopum terram in sublime volabat.
Virginis hic lachrymis motus specieq́ue peremit
Monstrũ, atq; Andromedã vinctã pariterq́; parẽtes,
Supra victorem defixit in æthere Pallas:
Sponsaq́ue adhuc Veneris veteri est accensa calore.
Inter Gorgoniam faciem Piscemq́ue Boreium,
Supra lanigerum defixa est forma feracis
Ægypti: hanc Hermes cælo imposuisse putatur. [c]
Iam, quem Neptuno peperit formosa Medusa,
Bellerophontæus Musarum est fonte caballus
Nobilis, [d] *& claris quadrato lumine stellis.*

a Omnis naturæ necessitas liberæ potestatis diuinę vi continetur, nec multum intelligere putandus est, qui supra naturam nihil videt, cùm illic horum omnium causæ sint, & aliæ plurimæ, quæ naturalem rerum seriem impediunt, impellunt, aut etiam inuertunt: nam vt libera potestas libera non sit, fieri nequit, aut etiam vt liberas non edat actiones, quæ tamen semper rationem comitem habent, quamuis hæc à nobis ignoretur.

b Quapropter violentam mortem significat, vt & reliqua signa, in quibus diuersissimorum siderum vires malè iunguntur: ea tamen quę per se mala sunt, & etiam diuersa, per media quędam bene misceri possunt.

c Aegyptus trigoni formam habet, quæ principium est omnium aliarum rectas lineas habentium, & ideo tanti fecit eam Plato: nam etiam cum ternario magnam cognationem habet, qui numerus semper est habitus admodum diuinus, & ideo non est mirum, quòd viri sapientes eius similitudinem voluerint in cælo describi.

d Per Neptunum & Medusam animi corporisq́ue vim & potentiam intelligere licet: vnde fama prouenit, quæ per Pegasum alatum significatur, qui in templo Mineruæ dicitur esse procreatus: hæc enim dea sapien-

ſapientiæ eſt, qua nihil memorabilius eſſe poteſt. Fingitur autem Pegaſus Caſtaliũ fontẽ aperuiſſe: vel quoniam fama præcipuè ſolet ingenia præclara excitare ad ſcribendum, & etiam circa famam illuſtrium virorũ ſæpe verſantur: idq́ue eſt quod Bellerophontem & Perſeum à Pegaſo vectum eſſe ſcribunt: vel etiam quòd gloriæ cupiditate ad inſignia facinora magni viri impellantur.

Ad caput Andromedæ prima eſt, in crure ſecunda
Atq; ambæ Iouis & Mauortis luce coruſcant,
Tertiaq́; ex humeris, quarta eſt ſuper vltima dorſi,
Atq; hæ ſunt Iouis & Stilbontis lumine claræ.
Piſcem pene ſuis auſtrinum en verberat alis:
Atq; eius rutilum attingit prior vngula cygnum,
Tantumq́; eſt media deſculptus in æthere forma.
Tangit equum roſtro Delphin, caudáque reflexa,
Atq; Aquilam tergo. è minimis componitur aſtris,
Belligeriq́ue Dei & Phænonis lumine lucent.
Hic dum Amphitriten pulchrã Neptunus amaret,
Præſtitit officium, pro quo eſt inſcriptus Olympo.
Aſt è lacte volat Iouis ales ad Ægocerotis
Cornua, cui dorſum binis eſt nobile ſtellis,
Quæ Iouis & calida Mauortis luce coruſcant.
Supra alam corui defixum eſt cuſpide telum,
Et ſuper hoc cygnus paßis extenditur alis:
Seu ſit Lædæus, ſeu quem celebrauit Apollo,
Dorſo Stilbontis Veneriſq́ue inſignia portat,
Exceptiſq́ue alis cæleſti lacte madeſcit.
At lyra Mercurij, qua Phœbus deinde ſonabat,

Donec

Donec eam vates nactus Rodopeius auxit.
Amphitrioniadem cygnumque interiacet: eius
Chordas diuinus Musis æquauerat Orpheus,
Fundens omnigenum summa dulcedine cantum.
Diuinum istum animi cantum audiuere feroces.
Istum prærupta est quoque Serria sylua secuta:
Iste canem triplicem, & triplicem sopiuit Erinnyn.
Est etenim muneri virtus permagna sonori.
Nempe hac tam valido vertuntur sidera lapsu,
Atq; hac tam varium profert quoq; terra decorem:
Hac hominũ pariter corpusque animusq; mouetur.

Quantum musica valeat in rebus humanis, à multis clarissimis viris demonstratum est, & satis illis notum, qui vel minimum humanitatis habent: nam tantum abest, vt is qui rythmo symphoniaque numerorum non commouetur inter homines verè numerandus sit, vt veteres sapientissimi viri crediderint etiam animantia fera, saxaq; numerorum musicorũ vi concitata sese ad vsum humani generis accommodasse: nimirum intelligentes duros & agrestes homines, tonis accommodatis emolliri, & ad omnem virtutem efformari posse: nam legimus etiam in historijs, viros inuictos mutatis modis in hanc aut in illam partem esse facillimè compulsos, quod arte musica nihil potentius sit ad animos in omnem partem flectẽdos. Si verò quis dicat non omnes, imò non multos homines cantibus admodũ delectari, respondebo non musicæ, sed musicorum id vitio potius euenire, quòd nulli sint qui exactè teneant omnem artem, & paucissimi qui aliquam in ea laudem commerentur, quod quidem & in alijs omnibus accidit, & in hac maximè, quæ longè præstantissima est, diuinumque spiritum & eum quidem eximium requirit: qui quidem paucissimis hominibus contingit. Cùm autem musica semper animis audientium sit accommodanda, tamq; multiplices hi sint, vt inter tot myriadas nulli nascantur pares, & vitæ instituto multo plures quàm natura differentias acquirant: cumque numerorum discrimen multiplex sit & infinitum, hinc est quòd tam difficile sit eos ingenijs præsentibus accommodare.

Verùm sapientissimi viri quasdam insignes differentias annotarunt quæ magnum aliquod ad animos commouendos obtinent momentum: at hę non omnes homines eodē sensu attingunt, sed alios vehementius alios leuius, à plurimis etiam vel parum vel nihil sentiuntur. Sed ob id ignobilior ars haberi non debet, quòd paucis admodum, imò verò potius nulli sit nota: nec etiam ob id quòd materia corrupta sit circa quam versatur, imò id eximium inter alias multas artes habet, quòd materiam suam continuò meliorem reddere potest, dum vim suam animis hominum inserit, & pariter eos ad omnem assiduò virtutem componit. ergo non est quòd artē omni laude dignam accusemus, sed homines potius qui ea vti nō sciūt: quamuis ipsa magis diuinum donum quàm humanum inuētum dici debet: quod veteres sapientissimi viri, quemadmodum & alia multa, nobis pulcherrimè significarunt, dum Orpheum, quo neminem vnquam legimus citharæ sono parem fuisse, filium Apollinis & Calliopes esse, & à Mercurio citharam accepisse scripserūt. Apollo verò sapientiæ deus est, qui cuncta in pulcherrimam harmoniam distribuere nouit, Mercurius ingenij eloquentiæq; pater, quæ quidem cum musica cognationem arctissimam habet: vnde quoq; cognoscere licet qualísnam ars sit ea quam verè musicam appellemus. Cithara verò tanquam huius vniuersitatis est instrumentum, in qua sunt omnia iustis numeris diuisa. Euridice Orphei vxor sic dicta videtur, quòd latè ius suum obtinuerit: sed est à perditis hominibus, qui serpentibus similes sunt, oppressa, & tandem etiam Orpheus est à baechantibus fœminis dilaceratus. Ita vera musica interijt, & in eius locum perturbatio & tumultus successit: sed Orphei lyra tamen adhuc integra in cælo cernitur. Nam illa superna corpora suum exactum ordinem continuò seruant: idque nobis etiam harum rerum inuentores significare voluerunt.

Ast vbi Threicius discerptum voluerat Hebrus
Orphea, Musæo fuit hæc lyra tradita vati:
Iupiter & spretam cæli hac in parte locauit.
Stilbontis tingens Venerisque manubria flammis.
Sidera nunc paucis descripsimus arctica. partem
Vergit in oppositam celebris Neptunia proles
Orion, solitus pedibus transire per vndas,

Nunc

Nunc firmi medio ſpacio decurrit Olympi.
Hic quondam dominam cupiens ſuperare Dianam,
Interijt, poſitusq́ue fuit ſub cornua Tauri:
Et ſic letifero longè nunc diſtat ab hoſte.
Contingit plantam ſublimi fuſte Gemelli,
Et cornu digitis Taurinum pene ſiniſtris:
Hermetiq́ue ſacrum Leporem conculcat, & aſtrum
Præclarum læua circumtrahit vndique planta,
Quod fortunata Phaëthontis luce coruſcat:
Cùm tamen enſifer hic fera prælia captet Orion. [a]
At quanquã Hermetis Saturni & numine tutus, [b]
Occultus Lepus eſt, cupiens vitare ſequentem
Hoſtem, quem comitem ſecum venator habebat
Orion: ſeſe ad dominum iſte attollit: at acrem
Mandibulis geſtat rabiem: namq; illius ortu
Languida marceſcunt, nimio conſumpta calore,

a Poëtæ fingunt Orionem à Ioue, Neptuno, & Mercurio procreatum: eſt enim ſidus calidũ, humidũ & ventoſum, & ideo cum Diana, hoc eſt, cum Luna dicitur certaſſe: ſed Scorpius oppoſitus vires eius frangit. quamuis autem Orion numeratur inter ſigna tempeſtuoſa, dexter tamen eius humerus inſigne quippiam, cingulus doctrinam portendere creditur.

b Lepus cęleſtis refert naturã Saturni & Mercurij, cũ quibus etiam lepus terreſtris conuenit: non enim aſtrologi nomina temerè rebus cæleſtibus impoſuerunt.

c Stella quę eſt in ore Caniculę, Marti et Ioui ſimilis eſt, oritur cùm Sol eſt in Leone. Calor moderatus humidorum partes tenues cõſumit, & reliquas bene contẽperat & cõcoquit, nimius tandẽ in tenuibus nihil, in aridis nihil niſi terrenum relinquit: ſic ea quibus humiditas multa, maturitatem acquirũt, cùm autẽ ipſa fit impar calori, tabẽ et marcorẽ.

Et valida optatos coguntur reddere fructus,
Solem iracundo iam comburente Leone.
Non Leo tam vestrum rectis diuerberat orbem
Quàm Cancer radijs, ſed corpora turgida bile
Æſtatis, languent: vt ſi quis febre laboret,
Necnon externis vexentur viſcera flammis a
Ecce alius Canis eſt ſuper hunc, ſub ſidere Cancri,
Eiuſdem domini: quem lacteus impedit orbis,
Quo minus illius humeros attingat, & iſte
Poſtrema tangit iam cauda brachia Cancri,
Stilbontiſque humero Martisq́; inſignia geſtat: b
Iſte canis proprio Procyon eſt nomine dictus,
Quòd maiore prius ſemper Cane ſurgat Achiuis.
Sirion inſequitur nauis, quæ per mare nautas
Argolicos vexit, raptores velleris aurei.
Nunc in lacte natans, eſt à Symplegade tuta.
Prora deeſt, c *puppi procedens æthera ſulcat,*
Ac ſi contractis attingat littora velis,
Hanc certis Phænon radijs Phaëthonq́; gubernat.
At ſupra nauem poſita Hydra ad brachia Cancri
Incipit, in primam & deflectitur vſq; Bilancem.
Iupiter è celſo monſtrari lumine cælo
Magnorum voluit latè inclyta facta virorum.
At triplici gyro eſt, Stilbontis lumine primus
Saturniq́; micat, poſtremò Coruus inhæret
Fuluus, et in medio eſt Crater: cùm ſplẽdida quondã

Magno construeret patri conuiuia Phœbus,
Coruum misit aquas subitò de fonte petitum:
Ad non maturas hic ficus fortè moratus,
Finxit serpentem fontem vastare, Deusque
Præscius in cælo iunctim hæc tria sidera sculpsit,
Phænonis Coruo atq; insignia Martis inurens.
Hydræ sub cauda est positus præceptor Achillis, [d]
Argolicamque ratem hic cauda contingat equina,
Ni quondam fuerit prora in Symplegade fracta.
Iste feræ iam lacte madens venabula figit:
Eius ad Austrinam minimum facit vngula cyclum
Partem, qui nimio loca cingit adusta rigore:
Qua specie humana est, Venerē Martemq; referre
Dicitur: at Venus & Phaëthon formauit equinas
Partes, atq; feram Pyrois Phænonque: propinqua

a Illi qui intus calent, externum calorem cum maiore molestia sentiunt: ita sub Cane corpora propter æstum præteritum multam bilem collegerunt, vnde fit, vt magis sentiant Leonis calorem. Non autem tantum ex solis positione, sed etiam sidernm natura prouenit calor. Est autem Leo admodum calidus, vt etiam Canis, quamuis hic in Austrum valde declinet.

b Vterque Canis propter Martem potentiam significare potest.

c Orph. scribit Symplegades insulas, cùm Argonautæ præternauigarent, fuisse mobiles, & tunc eas concurrisse, nauisque proram intercepisse: & in ea figura cernitur hæc etiam in cælo.

d Chiron Centaurus tantum virtutibus & arte medendi valuit, vt voluerint in eius memoriam hoc signum ab eo denominari, qui propter insignem prudentiam habitus est etiam filius Saturni, cui Thetis filium suum Achillem tradidit instituēdum, quemadmodum ex Homero intelligere licet.

Huic Ara est, diuus qua Peleus sacra peregit,
Dum quondã magnos celebrabat fortè hymenæos.
Vel potius cùm dij Titania bella pararent,
Hanc super impositis manibus iurare coëgit
Iupiter, inferrent communi vt fœdere bellum. [a]
Ac post deuictos multo sudore gigantes,
Sustulit, vt super hanc iurarent numina cæli,
Vtque in sublimes arderet semper honores.
Attamen Hermeti potius Veneríque dicata est.
Hæc vbi peruenit summa ante cacumina cæli, [b]
Si cum Centauro est nebulis perfusa, sereno
Cælo, flaturos subitò denunciat Euros.
Si poterit, cælo iam tecto, sola videri,
Terribiles Austros, & sæuos indicat imbres.
Post hanc Toxophori haud procul à pede picta Corona est,
Quam cælo imposuit defuncta coniuge Bacchus:
Hæc in Saturni est suspensa & Martis honorem.
Iam notium Piscem Cetus peperisse putatur.
Huic ceruix Iouis & Veneris perfusa colorem est,
Ac venter tristi Saturni bile tumescit.
Pincerna illius reprimit pede terga sinistro,
Ne rostro flauum possit contingere nectar.
Sed sub Lanigero & sub vtroque est bellua pisce
Ingens, quæ mœsto Saturni lumine splendet.
Eridanus miseras potuit restinguere flammas,

Ignito Phaëthon dum curru accenderet orbem. c
Atq; hinc astrifero est meritus decurrere Olympo.
Irrigat Ensiferi crura, & fera pectora Ceti.
Nunc potiùs nigra Phænonis bile redundat.
Sunt nonnullæ aliæ proprio sine nomine stellæ:
Nempe infra Leporem, Piscē, post vltima Tauri,
Delphini, ac Vrsæ, nam desunt nomina rebus
Multis. d *stelligeri sed fermè hoc sidera cæli*
Ordine collucent, gressu & constante recurrunt,
Ac miram propriæ vim profert quodq; figuræ.
Inferiùs vario se errantia corpora mutant
Motu, nunc excelsa meant, nunc ima feruntur,
In dextram læuámue suum vaga sidera cursum

a Omnia conspirant in vnum, præsertim cælestia, à quibus hæc inferiora, quæ alioqui diffluerent, coniunguntur. in ea verò coniunctione salus communis est sita, quam Gigantes terræ filij turbare conantur. Terra enim infima inter corpora longissimè degenerauit, plurimamq; materiam continet. Forma verò cæleste quiddam est & diuinum: illa sua vastitate diuisionis & perturbationis est mater.

b Sunt enim hæc signa iuxta finitorem meridianum: itaque si reliquum cælum serenum sit, illa obscura, inditium est vel ab Euro vel ab Aquilone nubes in eam partem agi: si verò sint serena, reliquū cælum nubilum, significatur inde ab Austris in Aquilonem nubes impelli.

c Necessarium est vt hæc omnia sint in continuo motu, qui sine contrariorum actione & passione cōseruari nequit. Si verò vnum contrarium alteri longè superius esset, ab eo statim vinceretur, sublataq; contentione cuncta sub vnius imperio essent: quanquā autem in cælo talis contrarietas non est qualis hæc nostra: est tamen eius contemperata similitudo, quæ sit horum inferiorum effectrix causa.

d Tametsi Pto. plurimas stellas signis eximit, ijs tum alij, istis exceptis, omnes fermè comprehendunt.

Inflectunt,

Inflectunt, celerive gradu tardóve mouentur,
Hoc alióve situ, ac diuerso limite distant:
Hinc quoque multiplices sumit natura figuras.
Cuiusuis non est eadem regionis Olympi
Virtus, sed struxit diuersa palatia diuûm
Mulciber, atq; suas erronum cuilibet ædes.
Frigida Saturno signata est Ægocerotis
Ac Vrnæ effigie, & pallentis imagine mortis
Est plena: atque illi geminæ sub sidere Lancis
Præcipua est etiam cæli concessa potestas.
At Iouis alma domus signum tenet Arcitenentis:
Sed noctu gemino potius sub Pisce moratur.
E Cancro tonat & fermè sua fulgura vibrat.
Ast Aries, sub quo superatur bruma calore,
Marti grata die domus est, & Scorpius ardens
Noctu, qui excelsus graditur sub imagine Panos.
Vna modò est ædes specie signata Leonis
Phœbo, qui attollens se primi tempore veris,
Arctoum reficit vitali lumine mundum.
Sed lasciua Venus facilem sortita maritum,
Nacta est maiorem ad luxum palatia bina:
Quæ Taurum solita est semper præferre Bilanci.
Ille etenim veteris nondum est oblitus amoris.
Atque etiam gaudet geminis sub Piscibus, ipsa
Nempe est nata mari, liquidasq; agitata per vndas.
Hermes sub Geminis potius vel Virgine regnat,

Semper

Semper colloquium & consortia blanda requirens.
Cancer Lucinæ domus est, atque inde deorsum
Censent humanam in corpus descendere mentem:
Sed tamen assumit vires per cornua Tauri.
Et sic cuique dedit doctus sua tecta deorum
Mulciber, ac pulchrè varijs signata figuris.
Hîc quisq; imperium summū tenet, atque gubernat
Illinc cunctarum quoque membra potissima rerum,
In quasuis recto se mutans ordine partes.
Et tria quisq; regit vitalis sidera cycli
Præcipuè, Phœbo est Aries Leo Toxophorusque,
Atque Ioui sacer: at Taurus Veneri atq; Dianæ,
Virgo atq; Ægoceros: Gemini, Libra et Ganymedes
Phænoni Hermetique. tenet tria tota relicta
Sidera, qui nunquam patitur pia fœdera Mauors.
Sic est astrigeri diuersa potentia cæli.
Sed quia se vario vultu vaga numina cernunt,
Nec distant vnquam simili curuamine circli,
Hinc se in diuersas formas quoq; singula vertunt.
Cùm sexta aut terna distant duo lumina cæli
Parte, solent vultus semper monstrare serenos:
Namque ea conueniunt quoq; cæli sidera fixi.
E quarta toruo componunt lumina vultu,
Et diuersa etiam stellarum est illa potestas.
Oppositi coëunt radij violenter, & illinc
Stelligeri cæli trahitur contraria virtus.

Si cùm Sol caput attingit caudámue Draconis
Arthemis oppositum teneat, sub cuspide noctis,
Incidit in tenebras, priuatáque numine fratris
Deliquium patitur, noctis perfusa colorem:
Tunc rubicunda, notat metuenda negocia Martis,
Atráque tristitias, varijs obducta tenebris,
Mundo multiplices Stilbontem tendere technas.
Iunctáque concipiunt alternos astra vicissim
Fœtus, atq; edunt maturo tempore partus.
Sol vbi contigerit duplicis segmenta Draconis,
Iam quoq; fraternos radios subeunte Diana,
Tristis vitali fraudatur lumine tellus,
Horrida concipiens nigri præsagia fati,
Quod trahat hos, quibus est insignis in orbe potestas.
Nam potius bina hæc moderantur numina mũdum,
Et proferre solent magnæ facta inclyta causæ.
Non tamen extemplò manifesta erumpit in acta.
Incrementa capit concepta potentia cæli
Assiduis radijs. Certa vertigine Parcæ
Ac pro materia semper sua fila reuoluunt.
Hinc est quòd totidem menses numerentur & anni,
Defectus Lunæ aut Solis quot continet horas,
Tótue dies, punctis quot sidus distat ab ortu.
Dirum sic memini bibitum persæpe venenum,
Sensim & letiferam penetrasse in viscera noxam,
Nec subitis densum morbum cessisse medelis.

Nam

Nam natura dedit cunctis sua tempora rebus.
Atque etiam Phœbum postquam triduana reliquit
Ac per septenos numeros spectanda Diana.
Monstrat terna dies crescentis cornua Lunæ,
Circuitumq́ue suis absoluit partibus heptas:
Hinc est istius numeri tam magna potestas,
Ad res humentes Lunæ virtute mouendas.
Nec tantùm inter se vario situq́ue locoq́ue
Ætheris errones aut sidera fixa recedunt,
Sed quoque cum terræ mutant regione figuram
Semper, & hinc data sunt duodena palatia diuis.
Sidera cuncta suas ad quæque negocia miscent
Vires: attamen est aliquod, cui summa potestas
Dum res incipiunt, cuius virtute reguntur.
Vtq́ue puellarum in magna iuuenumq́ue caterua
Vnius intuitus potius procedit in illam,
Vna suis oculis radiantibus intima pungit
Viscera, per medias acie penetrante medullas,
Atque infixa manet species ea prima puellæ,
Quæ tenet vna animum totum, sic sidera primos
Insinuant radios, queis texunt stamina fati,
Et secum in certos deducunt omnia fines.
Nam noua si aßiduo descendit ab æthere virtus,
Maxima natali conceßa potentia cælo,
Quod planè admixtum est teneris ab origine rebus.
Innati radij sua corpora nempe gubernant,

 Quos

Quos persæpe animus vester quoq; sponte sequatur.
Vt cui præfuerint turbantes æquora stellæ,
Conscendant miseras simili sub sidere naues.
Sæpe vias diro Pyrois latrone remotas
Obsidet, & Phænon, infausto & numine Stilbon.
Hinc, qui carpit iter tali sub lumine vastum,
Infelix facile in latitantes incidat hostes.
Naturæ astrigero series respondet Olympo.
At merito summus Phænon est ordine primus.
Quòd vis è superis veniat: rursusque Diana
Perfectis prima est rebus, regit ipsa tenellos
Infantes, Stilbon pueros, Venus alma iuuentam.
Et sic ad primum redeunt hæc omnia fontem.
Nobilitate loco sunt sidera magna priore.
Præcipua est virtus Phœbæa, potentia Lunæ,
Æquator, nec non vertex: amplißima summam
Corpora nempe gerunt multa sub imagine causam.
A' Phœbo vitam & fortunam ducitis omnem,
Et Luna. Phœbi virtute hæc cuncta reguntur.
Magnum est numerare vices ab origine rerum.
Magnum est tam varias numeris distinguere vires.
Pars autem prior est cæli, quæ surgere terra
Incipit, atque recens rerum fit causa nouarum,
Resque potest claram in lucem proferre latentes.
Præcipuè regit hæc Saturni numine vitam:
Quanquā habet & partē Stilbon, et fœcūda Diana,

Inde Iouis tenuit partes domus alma ſecundas.
Nemo eſt quin rutilũ cunctis magis expetat aurum.
Proxima ſignificat, quæ eſt proxima, nẽpe parẽtes.
In quinta Veneris commercia blanda geruntur.
In ſexta Stilbon aſtuta negocia tractat.
Aſt in ſeptena celebrat connubia Phœbe.
Octaua eſt iterum Saturni: atque inde dolores,
Triſtitiæ, luctus, morbi, diſcrimina, mortes,
Vſqueadeo veſtræ coniuncta pericula vitæ.
In nona, virtus, pietas, ſapientia regnat.
Surgit dena domus per celſa cacumina cæli,
Vnde ferit rectus radius violentius orbem.
Hinc venit imperiũ natorũ, & gloria matrum.
Cum fortuna vndena tenet conſortia vitæ:
At tantùm ſteriles recipit domus vltima lites,
Et fermè denſo tota eſt obſeſſa vapore.

Quoniam perpetuas ſtellarum vires deſcripſimus, nunc conſideremus quas differentias acquirant: hæ verò omnes vel ad motum vel ad poſitionem referri poſſe vidẽtur. De hac autem priore loco, poſtea de motu dicemus. Poſitus autem diuerſus eſt, vel ſtellarum aliarum vel partium terræ mutua comparatione. Stellæ interdum inuicem ſibi vicinæ ſunt, interdum verò longiùs inter ſeſe diſtant: maximæ propinquæ ſunt in συζυγίαις. Longiſsimè diſtant cùm oppoſitam partem alteri altera tenet. Sed nemini dubium eſſe poteſt, quin ea quę ſunt eiuſdem generis, quanto magis coniuncta ſunt, tanto ſe facilius tueantur, & vires magis efficaces edant, quemadmodum cernere liceat in ignitis carbonibus coaceruatis, in vino, quod incluſum multum in vno dolio ſit, & in reliquis omnibus rebus, quæ diſtractæ & tanquam in partes diſcerptæ facilè pereunt. Quanto igitur ſtellæ ſimiles coniũctiores ſunt, tanto validiores poſsidẽt vires. ſed quid ſi contrariæ ſint & repugnan-

tes? Equidem constat, diuersissima sine suis medijs in vnum bene conuenire non posse: ita putat nec ignem cum terra, sine medijs duobus, nec animũ cũ corpore, sine æthereo vinculo, coire posse Plato: quod etiam in quotidianis cernimus negocijs, duos nimirum inimicos non facilè concordes reddi, nisi per eos, qui vt vtrisque sunt amici, ita ambos tanquam medij coniungunt. Itaque Saturnum cum Ioue dicunt astrologi non feliciter coire, nisi alio medio glutino Veneris exempli gratia coniũgantur: nam eam alij Saturni filiam, alij verò Iouis potius esse iudicarunt. Verùm illud semper in memoria tenendum est, omnia non omnibus sempérue singulis conuenire: non idem hominibus quod cæteris animantibus, nec animantibus quod alijs quæ anima carent. Quapropter consideranda natiua cuiusq; generis, & etiam singulatim optima generis cuiusque temperies, & iudicandum proximam huic cæli positionem potissimum conferre, contrariam autem omnem morbis semper suum remedium afferre: nam quanquam felices planetæ sint alijs optabiliores, tamen soli nec naturam rerum, nec etiam aliquã eius partem egregiè gubernarint. Ex omnibus enim singula, & ex singulis etiam omnia fiunt. non tantum sub Ioue vel Venere, sed & sub Phœbo Mercurioque viuere debebamus. Cùm igitur quis norit singulorum temperaturam, & singularum etiam stellarum vires, facilè iudicabit, quæ coniunctiones quibus obsint vel prosint. Nam particulatim hæc omnia, quæ sunt infinita, tradi nequeunt, sed præcipua queque, ex quibus bonus rerũ æstimator reliqua facilè coniectet: verùm coniunctarum stellarum vires ad ortus & interitus rerum potenter misceri fatebuntur multi, sed non admittent operationes in hoc aut aliud tẽpus differri. Quid enim obstare potest, inquiét, cur tantæ tamque promptæ vires non confestim suum effectum producãt. Superstitiosè astrologi, in initijs quibusdam temporum, ex positura motuque siderum causas quasdam scrutantur, quæ suis, & diuersis quidẽ temporũ curriculis excãt in suas operationes: ita Lunam vel nouam, vel plenam, quadratámue potissimum considerant, & ex prima Luna, de toto circuitu pronunciant: in æquinoctijs solstitiísue præcipuè perpendũt solem, & ex paucis diebus, aut horis potius, imò verò ex vno puncto, de totis annis protinus audacissimè multa prædicunt: sed qui hæc & alia generis eiusdem dicunt, non satis intelligere videntur rerũ naturam. Nam in omnibus facilè cognoscere licet summam quandam opportunitatis esse potestatẽ. Opportunitas autem, ni fallor, in temporibus & locis est sita: quod enim vno tempore vel loco decet, altero dedecet, & hoc quidem facilè fit, altero fieri nequit. Ita ad agriculturam, ad militiam, ad dicendum, ad intelligendum, ad omnia deniq; opus est opportunitate. Nec semen iactum statim herba vel seges

ges est:nec infensi principes confestim aciem instituũt: opus est enim ingenti quodam apparatu. Quid facilius quàm dicere vel intelligere homini sapienti. Et tamẽ interdum tardior animus est, quàm vt etiam hæc rectè præstare queat. Nam ad quasuis res gerendas opus est quibusdam instrumentis, quæ, si quid præclarè factura sunt, sæpe postulant rebus multis aptari. Quid, quod satis manifestum est ordine cuncta constare, in quo quidem aliud hic vel alibi, & in hoc vel illo tempore collocatur. Non est igitur mirum, quòd ex cælo non tantùm euenta rerum, sed eorum ordo quoque cognoscatur, cùm effectorum ordo cum ordine causarum semper quadret. Sic in defectibus solis, horas in annos numerant: horas autem defectus in Luna supputant in menses: & considerant etiam quantum sidera deficientia deorsum recedant ab horoscopo, & partitionibus signiferi tempora tribuũt, quibus euẽtorum curricula dimetiantur. Quod quidem an rectè fiat nũc disputare non libet: illud tantum dicam, potius à rerum natura quàm ab hominum instituto hæc omnia sumi debere. Diuisio verò diei in viginti quatuor horas, & circuli in partes trecẽtas et sexaginta hominũ sunt inuenta, quæ rebus nullas vires inserere possunt, nisi fortè dicant, propterea quòd in eiusmodi partibus manifestas differentias inuenerint, hanc ab astrologis fuisse diuisionem receptam. Ita homines naturam esse secutos. verùm id nondũ satis constare videtur. Satius est igitur vt sumamus ea quæ sunt omnibus manifesta. Manifesti verò sunt circuitus omnium stellarum, & in natura rerum obtinent maximum momentum. cùm verò vni circuitus alios dimetiantur, hinc ordinem & successionem rerum liceat dinumerare. Celerrimus autem circuitus est primi cæli, qui dum conficitur, Sol vnam fermè partem percurrit, Luna tredecim, & reliquæ stellæ suam dimensionem & comparationem cum alijs habent, quæ potius fuerat ab astrologis consideranda: hæc enim est in ipsa rerum natura. ita dies, in Luna menses, in Sole annos significare possunt, & etiam illa spacia quæ vno die Sol vel Luna peragrat, quibus quidem interualla fuerint dimetienda, idq́; fuerit etiã in reliquis stellis obseruandũ: sed iã ad vlteriora pergamus. Quòd autem Sol deficiat cùm in intersectionibus hapsidis Luna sub eo nobis eius aspectum intercipit, quodq́ue Luna deficiat, cùm in vna Sol, ipsa in altera fuerit intersectione, notius est quàm vt sit hoc loco dicendum. Sed quæ rere posset aliquis, cùm Luna iam egressa cuspidem vmbræ terræ recuperauerit aspectum vultus fraterni, cuius nimirũ splendore collustratur, nunquid tum statim pristinam suam obtinet virtutem? Quid, tantillæ tenebræ, tam exigua carentia lucis, tam magnarum potest esse rerum effectrix causa, quam aiunt astrologi? cùm Solis lux intercipitur, ipsa propterea nõ perit, vt nec noctu, nec interdiu, obstru-

obstructis ædiū fenestris. Verùm hæ noctis tenebræ sunt vsitatæ, omne verò consuetū violētiam afferre nō solet. Insolita verò & rara raros & inusitatos effectus producunt. Ita Saturni Iouisque coniunctio pręsertim in Ariete, quia rarior, maioris habetur momenti, & etiam quoniam ab eo principiū anni numeramus. In singulis autem circuli quadrantibus motus mutatur, vt si prius fuerit à dextris sursum cùm ad summum est deuētum in sinistra deorsumque tendit, hinc autem adhuc deorsum quidē, sed in dextram partem, cùm ad ima ventum est, ad dextrā sursum itur: ideo in quadrātibus stellę nouas potius vires acquirunt, & conseruant quamdiu idem motus manet. Hinc est quòd in solstitijs & æquinoctijs positionem cæli tam diligenter obseruēt: hinc est etiam quòd tanti faciant eas coniunctiones, quæ in ijs locis fiunt. Quod autem iam diximus, in omnibus stellis est tenendum. sed inter alias partes, vernum æquinoctium principatum tenet, quoniam tunc omnia reuirescunt & tanquam nouum initium sumunt: cuius vis in suos temporum circulos extendatur. Iam quoniam inferiora superioribus respondent, quemadmodum iam sępissime diximus, affectiones præcipuarum partium cæli, præcipuis terræ partibus potius ominari vidētur. Sed ex his, quæ iā diximus, coniunctarū stellarū virtus, si quis rationi consentanea peruestigare velit, est satis manifesta, cognoscēti singularū stellarū, tū fixarū tū errātiū, naturā. Contrariū, autē cōiunctioni positū, oppositionē vocarūt, cùm, scilicet ex diametro duę stellæ distant: hęc tam euidens dissidiū monstrat, vt etiā prouerbio sit trita: non enim coëunt radij priusquàm peruenerint in centrum vsque terræ, in quod cùm violenter ictu contrario incidant, repentè in mutuam concordiā coalescere nō possunt, & etiam signa opposita cęli stellati, diuersissimam habēt virtutem, ac suo dissidio iuuant planetarum diametris distantium pugnam. Adeò cuncta in natura consentiunt, & arctè conspirant in vnum. Quis autem dubitare potest, cùm nihil temerè fieri queat, in hac vniuersitate rerum, quin motus etiam omnis ad destinatum suum finem tendat, qui rispondeat principijs mouēdi. Quòd calescant res & calore continuò tandem ignescant, id nimirum est ab igni, & ab aqua quod humectentur: idque similiter in alijs omnibus accidit, vt & finis, & etiā eum antecedentia cuncta, nisi quid impedimento sit, cum effectrice sua prima causa consentiant. inde facilè cognoscere licet, quantum operæpretium sit initia motus diligenter considerare, quæ proculdubio cælo fuerint tribuenda. Omnis autem motus per locum, ex positu suam differentiam & naturam habet. Positus verò recti sex differentiæ sunt, sursum, deorsum, in dextra, sinistra, anteriora, posteriora. Hexagono distantes positu stellæ sese familiariter amiceque aspiciunt: nam tantum à se distant, quantum à cen-

tro


tro terræ: æquabilitas autem sua felicitate nunquam caret. Trigonus positus ex duobus hexagonis coniunctus felix est: etiam propter mutuam beneuolentiam stellarum fixarum: sed ideò Tetragonus est infortunatus: fortassis etiam propter obscuram lateris cum diametro analogiam. Et hi quidem quatuor præcipuè sunt aspectus, vt vocant, planetarum, qui nimirũ chordæ suæ manifestiorem dimẽtionem continent. Diuidunt etiam Zodiacum in nonas, denas, & duodenas partes: sed hæc minutiora sunt, quàm vt ab hominibus, in maioribus negocijs occupatis, debeant inuestigari. Deus enim nõ omnia nos scire voluit, sed præcipua quæque, quæ magis vtilia necessariaque sunt ad vitam. Qui verò minima scrutantur, quoniam maiora relinquere coguntur, inutilibus argutijs se miserè torquent. Satius fortassis est igitur, multorum astrologorum, etiam inter se dissidẽtium minutias contemnere, vt sunt orbium cælestium nimis argutæ partitiones, præsertim illæ quæ nullis stellis sunt insignitæ. Quamuis enim fieri potest, vt inconspectæ cæli partes diuersæ, diuersam habeant vim, tamen difficilior est hæc cognitio, quàm vt in ea valde nobis sit elaborandum, præsertim cùm siderum virtus nondũ satis sit nota, quæ manifestior est, & maioris momenti. Ergo postquam cognouerimus singularum stellarum naturam, quid singulæ conferre possint singulis consideremus, planetarum in primis omnem potestatem inuestigemus, & eam, tanquam nobis notiorem, nimirum proximiorem, cum stellis firmamenti conferamus. Deinde harum positum & configurationem omnem perpendamus, quomodo vis cuiusque cum alijs confluat, & quæ inter se maximè coniunctæ sint atque cognatę ad alicuius effectionem: ita videmus eas in certas nec admodum multas imagines esse descriptas. Post hęc inuestigandum qui potissimum asterismi, cum quibus conueniant vel dissideant, & quid singuli quidque multi simul præstare possint, nec cessandum donec omnes fuerimus perscrutati. Deinde planetæ quoque cum ijs sunt coniungendi, quemadmodum iam dicere ceperamus, intelligendumque quomodo conueniant cum singulis asterismis, & quomodo cum ijs coniungantur, temporaque cum temporibus suis dimensionibus sedulò conferenda. Postquam autem planetas singulos cum singulis asterismis & cũ omnibus comparauerimus, tum eos etiam inter se, cumque stellis fixis mixtim conferemus. Hinc autem proueniunt aspectus de quibus iam locuti sumus. Sed hi cùm paucissimi notati sint ab astrologis, innumeri sunt in rerũ natura, propter diuersissimas interuallorum analogias, & propter diuersissima quæ possunt conferri: vt si tantum vnus planeta distet à domo alterius, quantum hic ab illius domo distet, aut si tantundem planetæ distent inter sese, aut primus planeta tantum à secũdo, quantum

à tertio secundus. Nam dici non potest quãtum æquabilitate delectetur natura: sed plurimæ sunt analogiæ quę maximam gratiam habent, hemiolia, epitrita, dupla, tripla, aliæq́ue innumerę, quæ singulæ suam obtinent potestatem. Hæc igitur sedulò considerari vult, & etiam illa quæ constant analogia quomodo sua natura se iuuent vel lædant: sunt & plurimæ differentiæ stellarum ex varijs circulis per quos feruntur. Differentias igitur & motus & positionis quas hîc acquirunt breuiter cõsideremus. Constat autem primum motum ab Oriente in Occidens fermè spacio viginti quatuor horarũ absolui circa polos mundi, quem motũ omnes inferiores orbes sequũtur. Huic veluti cõtrarius est alius circũ Zodiaci polos, qui à prioribus fermè viginti tribus partibus cũ semisse recedunt. Conficit hic suum circuitum ab Occidente in Oriẽs fermè intra annorum millia viginti quinque cum annis octingentis, & hoc etiam inferiores circuli cælestes reuoluuntur. tertius autem motus ab his longè diuersus est, cuius polos veteres circa principia Arietis & Libræ mobiles esse iudicabant, sic vt reciprocè circulos vtrinq; paruos describerẽt, per quos octaua sphæra trepido motu æquinoctia solstitiaque mutaret, & priorem stellarum motũ vel promoueret vel retardaret. recentiores aliam huius motus formam tradunt. Polos enim circa arcticam & oppositam mũdi partem duplici, sed breuissimo motu ferri dicunt, quorũ altero attollantur & deprimantur spacio viginti quatuor minutorum intra annos fermè ter mille quadringẽtos & triginta quatuor, vnde necesse quoque sit obliquitatem Zodiaci mutari: altero moueantur in ortum & occasum per spacium septuaginta minutorum & vnius, ita vt tamen prior motus istum bis mensuret, & hic æquinoctia in occasum & ortum detorqueat, vnde stellarum motus nunc celerior nunc tardior fiat. Sed hæc ratio satis explicatur à Copernico, & est tardior & breuior hic motus, quàm vt hîc sit explicandus, vbi tantum breuiter vim corporum cælestium consideramus. Videmus tamen eius mutatione res humanas non mediocriter immutari. Infra firmamentum septem planetæ distinctis sunt locis collocati, inter quos Sol veluti dominus medium tenet, minusq́ue multiplici motu fertur. Imò sunt qui eum cum firmamento prorsus immotum esse dicant, eiusq; motum terræ, vt & eos, de quibus iam diximus, tribuant, quo fiat, vt nec superioribus incõspectis cælis sit opus, nec etiam vllæ circa aliena cẽtra debeant admitti reuolutiones. Sed ita terrę multiplex erit concedendus motus, cùm tamen secundum philosophos natura sit immota, & simplici corpori tantum vnus conueniat; quanquam fortassis non fuerit absurdum, vel vnam intelligentiam diuerso motu voluere, vel vni orbi plures concordes intelligentias præesse: siquidem videmus in compositis corporibus simplicium formas non planè

planè tolli, ſed potius alteri præſtantiori obſequium præſtare, quæ tamen cum corporatura planè ſunt coniūctæ. Verùm hæc non ſunt hoc loco explicanda qui terram mobilem fecerūt, firmamentum tanquam nobiliſſimum immobile putarūt: eſt enim omniū ſupremū, ſolem in centro, hoc eſt, in medio mundi collocarunt, quod etiā meritò maximā dignitatē habet: circa eum Mercurium: deinde Venerē, poſtea terram cū Luna moueri proximum eſſe Martem, ſupra hunc Iouē & Saturnum, qui iam ſecundus ſit à firmamēto: terram conficere motum diurnum circū polos ſuos ab Occidente in Oriens, quem nos primo mobili damus, & ita putamus ſolem



lem supra horizontem attolli, cùm terra potius descendat. Per terrã verò intelligimus & reliqua elementa. alium esse terrę motum censent inter solem & lineam eclipticam, quem nos asscribimus soli. Itaque solem continenter in alijs Zodiaci partibus cerni, cùm tamẽ nos, non autem ipse mutetur: quoniam siue mutetur qui videt, siue quod videtur, idem prouenit aspiciẽdi discrimẽ. Sed quia sol in æstate proximius ad verticẽ nostrũ accedit, in hyeme verò recedit, ideo necessariũ fuerit æstate polum terræ arcticum versus meridiem, hoc est, solem, hyeme verò antarcticum polum inclinari. Deinde quia æquinoctia solstitiaq́ue continuò mutantur, quod nos propter nonam sphæram fieri putamus, idipsi propter motum æquatoris terrestris fieri dicunt, cui tantum deest ad integrum circulũ versus Oriens, quantum in Oriẽs nona sphæra progredi putatur. Verùm hæc qualiacũque sint hoc loco non sunt explicanda. Nos hîc ex motus & positus varietate vim stellarum cõsideramus, quæ fermè tam in hac quàm in ratione veterum eadem manet. Sed nos exempla quædam motus cælestis proponamus, & primùm solis differentiam consideremus. Annuus autem eius motus, & per eccentrum, & per epiciclũ in homocentro describi potest: per eccentrum hoc modo. Sit eccentrus C.I.H.E. circa cẽtrum B. centrũ mũdi sit L. linea ecliptica D.F.G.K. in eccentro sint C.I. & E.H. partes æquales, quos sol quoniã illic æquabiliter mouetur, æquis tẽporibus conficit, atqui in



ecliptica sunt inæquales. Multo namq; minor est D.K. quàm sit F.G.


Hæc

Hæc autem inæqualitas continuò per æquabilē in eccentrico motum mensuratur, quod προσθαφαίρεσιν appellant. Idem accidet, si describamus epicyclum in homocentro. Sit homocentrus F.I.H.K. epicyclus D.L.M.N. sol sit L. Cum C. epicycli cētrū erat in. F. sol, qui est. L. erat in. D. & etiam in. E. cùm autem centrū epicycli. C. ab. F. versus. K. in homocētro mouetur, interim sol ex. D. moueatur versus. M. ita vt sem per sit. L. quod solem significat in eccentro. E.K. G.I. quem motu suo depingit. Verùm hi duo modi non omnino conueniunt, si quis bene consideret. In priore enim æqualitas seruatur in eccētro, quam semper laudamus, in posteriore epicyclus addit vel minuit propter diuersam motus positionem. Omnis autem mutatio motus, alias mutationes secum etiam affert, quamuis eadem sideris positio seruetur. Alia differentia prouenit ex eo, quòd apogæum solis non est semper in eodem loco, sed cētrum eccentri. B. veluti per circulū B. O. P. circūfertur, et pariter eccētrū E. K. G. I. secūdum signorū ordinem circumducit. Verùm hic motus tardus est, obliquitatis zodiaci motui par, & tamen necesse est, vt secum afferat suas rebus innouationes.



Est autem horum circulorum solis ea fermè seruata analogia, vt quales partes semidiameter eccentri. B.E. continet centies mille decies, tales sint nonies mille quingentę & vna, inter maximum & minimum solis interuallū à terra. Magis autē multiplex est motus Lunę. in ea verò duplicem melius est vt intelligamus epicyclum. Vnum exempli gratia. K.N.C.P. paruulum alterum D.F.E. in cuius circuitu corpus Lunæ feratur, & illius centrū C. in

in circuitu prioris. Ita tamen vt centrum. B. cum linea ex centro mundi, quæ ſit. A. B. zodiacum percurrat, ſint autem hæc in ea comparatione, vt ſi ex centro mundi. A. ad centrum maioris epicycli. B. ſint 10000 partes, ex cẽtro. B. ad peripheriam. D. ſint 1334 &. B. E. 860 contineat, at. E. D. 474 ita varietas omnis ſuis numeris cõſtare debet,



qui ſunt omnes diligenter conferendi, & analogia motus & poſitionis omniſque mutationis diligẽter examinanda: nam nihil eſt in cælo quod nõ maximã hic inferius cõtineat vim. cùm motum, cùm ſitum cæleſtia corpora mutãt, neceſſarium eſt hæc inferiora pariter mutari, & omnia cõſentanea quadam analogia prouenire, quam nobis rerum ſublimiũ cõſideratio demonſtrat. Pręter hos motus Luna latitudinis quoq; motum habet, quo quinq; partibus ab ecliptica deflectit, quod quidẽ etiã tanti momenti eſt, vt creditum ſit ob id in plagis rigidis animantia prouenire, quod Venus procul à zodiaco deflectat. Sed hæc exempli loco dixiſſe ſit ſatis. Non enim hîc motus ſiderum tradimus, ſed tantùm oſtendimus, quid potiſsimum conſiderandum ſit illi, qui vim corporum

rum cælestium sit intellecturus. Idem auté fermè accidit reliquis planetis, quòd his quorũ iam fecimus mentioné, vt scilicet sursum, deorsum, in dextra, sinistra, in Aquiloné, in meridiem certis & statis analogijs ferantur, idq́ue vel per eccétros aut epicyclos, aut vtroque modo, & certis quidem etiam dimensionibus interuallorum à centro terræ, suisq́ue centris recedant, quæ omnia inuenta sunt arte trigonorum, quorum vni anguli alios & eorũ etiam latera sese mutuo demonstrãt. Sed ex istis differẽtijs & motus & positionis planetarum tantum prouenit rerum omnium discrimen, quantum satis intelligi nequit: quoniam cum suis causis necessarium & effecta continuò mutari. In motu primùm celeritas & tarditas consideratur: qua fit vt alia citiùs, alia serius eueniant, & vel magis vel minus perseuerent. Itaq; primum mobile dies significat, Sol annos, Luna menses, & ita de reliquis est quoque iudicandum. ergo celeritas stellæ festinationem effecti sui portendit. Aliæ differentiæ motus fermè cum positu sunt coniunctæ, vt cùm sursum aut deorsum eas dicimus moueri, idq́ue propter eccentros & epicyclos, quorum partes in hanc aut illam partem ducuntur. Constat autem tanto nobiliores actiones edere stellas, quanto superiores sunt: quantoq́ue terræ propinquiores, tanto magis crassas & corporatas. Quapropter considerandum, quid & quibus potissimum stellæ significent: nam quibus opus est actione inferiore, ijs imæ stellæ conducũt, atque ad ingenij vim stellæ conferũt in superioribus orbium suorum partibus collocatæ: ita tamen vt præstet epicyclorum motum cum eccentris consentire: nam progredientes planetas, quàm retrogrados potius ab astrologis laudari videmus. Attamen sublimitas semper suam quandam dignitatem & potestatem affert, diuersis tamen operationibus destinatam. Ita primum cælũ cum mente maximè conuenit: nam illud Xenophanes Dei nomine nõ dubitauit appellare, fortassis ideo, quia cuncta comprehendit, nec est ab vllo comprehensum. Certè videmus etiam hæc corpora quanto proximius ad illud accedunt, tanto continuò minus corporaturæ habere, tanto puriora, nobiliora, & magis esse diuina. Crassissima terra est & admodum fœculenta. Aër aqua purior est, præcipuè pars eius summa: ignem autem diuinus Hypocrates diuinum quiddam esse pronunciauit. Cælum autem siue sit igneum, quemadmodum Platonici quidam, siue quemadmodum alij putant, est ex purissimis elementorũ formis optimè contemperatum, oportet vt quinta quædam ὀυσία sit, quæ cum elemẽtis non possit conferri: oportet etiam vt inter corpora purissimum sit cælũ supremum. Iam cùm anima tota vniuerso corpore suo debeat vti, necessarium est, vt eius facultates cum instrumentis analogiam obseruent. Videmus autem in nobis idem, quod in vniuersa natura rerum euenire, vnde fa-

ctum

ctum eſt, vt à Græcis homo μικρόκοσμος ſit appellatus. Habemus enim quaſdam noſtri corporis partes ſolidas inſtar terræ, alias liquidas, & æthereas alias, quas medici ſpiritus appellant, inter quos qui tenuiſsimi ſunt, ſeruiunt operationibus animæ ſupremis, qui cum ſummo cęlo proximam cognationem habẽt. nam actiones celeritate, vt ſubſtantiæ perſeueratione magis ad æternitatem accedunt: nam illæ breuiſsimo tempore plurima comprehendunt. Cùm autem actiones humanæ mentis cum corporatura coniunctæ nullæ puræ ſint, ſed quatenus in corpus vergunt, motum aliquem habeant adiunctum, & omnes quibuſdam inſtrumentis corporeis fiant, illud erit inſtrumentum mentis accommodatiſsimum, quod omniũ promptiſsimè mouetur: tenuiſsimus nimirum & lucidiſsimus ſpiritus, qui vel è ſuperiori cælo ſuam originem ducit, vel cum eo ſaltem maximam affinitatem tenet: is ad energiam veritatis maximè videtur accommodatus. Sed omnes alij motus corporum cæleſtium ab eo primo ſunt obliqui. Quoniam mẽtis ταυτότης per corporaturam in ἑτερότητα mutari debebat, tantoq; magis, quanto longius à ſuo principio recedit: nam & Luna quę nobis eſt proxima, minus imperio primi motus paret, & inferiores etiá corporis noſtri motus perinde non obtemperãt rationi. Sed tamen omnis virtus à ſummis ad ima per ſua media continuò deſcendit, & ab incorporeis & æternis in hanc corporaturam. Itaque cernimus cum primo cælo reliquas omnes ſphæras circumferri. Firmamento proximus eſt Saturnus, & eius virtus concepta corporibus humanis, inſtrumẽtum quoddam eſt, quo noſter animus ad operationes menti proximas, hoc eſt profundas de rebus humanis cogitationes, vtatur. Id enim quod profundũ eſt, etiam altũ appellare ſolemus. Quanquam autem actiones iſtæ deficiant ab æternitate, corporatis enim phantaſmatis vtũtur, quoniam tamen hæc tenuiſsima ſunt, proximè quoque ad æternitatem accedunt. Iupiter tametſi ſublimitate ſua potius & ipſe diuina ſpectet, loco tamen & natura magis corporeus eſt, quâm Saturnus: & ideo tanquam vtrinque diuina pariter & humana contingit: quapropter animo ſeruit, ad eas virtutes, quibus res humanæ pręſcripto diuinarum inſtituuntur, & ideo meritò principatum inter alios planetas tenet: noſtrum enim bonũ in quadam mediocritate eſt ſitum. Mars à diuinis iã quodãmodo deſciſcit, & magis corporea curat, in quibus etiã imperiũ obtinere cupit. Nam illi ſuperiores planetæ potius æternitatem ſibi proponunt. Sol veluti corporeus quidam intellectus eſt, ſplendore caloreque phantaſiæ ſenſuumque perſpicuitatem affert, & omnia viua facit: ita ſtellę ſuperiores ſuperioribus actionibus pręſunt, inferiores autem magis ſunt coniũctæ cum corporatura. Simile quiddam ſingulis etiam planetis accidit, dum in ſuperioribus aut inferioribus

bus suorum orbium locis versantur, & ita varijs etiam modis inter se coniunguntur: vt si planeta superior in inferiore sit eccentri & epicycli parte, inferior autem in superiore. Tum enim tanto propinquiores sunt, quàm in oppositis locis, quantum est interuallũ inter apogæum & perigæum: & in medijs locis varias analogias habent, quæ sunt omnes à rerũ cælestium studiosis diligenter perpendendæ. Quanto nempe coniunctiores sunt, tanto coniunctiores obtinent vires, cumq; differentijs corporum cælestium hęc inferiora cuncta permutantur. Alię rursus differentię proueniunt ex orbium cælestium inclinatione. Sol vnus sub ecliptica linea semper diuersatur, reliquique planetæ singuli certis dimensionibus ab ea deflectũt, idq; diligenter est etiam animaduertendum, vt cognoscamus quam motus & positionis analogiam inter se seruent. Quoniam autem Sol veluti rector cæli est, cum eo præcipuè reliqui planetæ sunt conferendi, maximè verò Luna, quæ cum Sole suum etiam obtinet principatum. Præcipuè verò consideratur in initijs omnibus noui motus, quemadmodum etiam reliqui planetę. Atqui singulis quadraturis nouum motum acquirit: sed in nouilunijs & plenilunijs summam quandam vim assumit, præcipuè verò cùm est coniuncta cum Sole, maximeq; cùm est quàm arctissimè coniuncta: quòd si verò tam coniuncta sit, vt nobis adimat aspectum Solis, id fieri nequit sine aliquo magno malo: quoniam Solis radijs omnia producũtur & conseruantur: similiter si terra inter Lunam & Solẽ, Lunę nos luce priuet. Est enim huius quoq; vis admodũ necessaria, quę non potest huc transferri sine luce Solis. Hinc est quòd per eclipses marcescat etiam vis Solis & Lunæ rebus his imis inclusa, cognata nimirum & conseruatrice luce destituta. Idque maximè contingit illis qui Solis aut Lunæ beneficio maximè viuunt, hoc est, qui inter alios obtinent principatum. Reliqui planetæ quoque singulis quadrantibus eccentrorum & epicyclorum initia noui motus acquirunt, vbi quoque pręcipuam aliquam concipiunt virtutem: sed cùm sol potentissimus reliquorum potentiam obscuret, considerandi quoq; planetæ sunt cùm tantum ab eo distare incipiunt, vt eorum euidentem mutationem percipiamus, quam potissimum luce sua demonstrãt: id est quòd Lunam triduo considerant à coniunctione: tunc enim semper incipit videri: similiter Mercurium & Venerem cùm primùm post occasum Solis cernũtur, aut ante lucẽ eius occultãtur, tres verò superiores cùm mane se conspicuos reddunt: idq; est quòd Mercurij & Veneris exortus vespertinos, Saturni, Iouis, & Martis matutinos salutares esse dicũt, occultationes autẽ non haberi felices. Verùm de ista siderũ varietate pro instituto iam satis. non autem stellæ tantùm inter se, sed etiam nobiscum conferuntur, nec tantùm superiora, sed & inferiora consi-

derari debent omnia, vel ſaltem pleraq;, modò quis rectè iudicare velit. Terrenorum verò cum cœleſtibus varietas prouenit ex horizontis in diuerſis terræ partibus diuerſa poſitione: hinc eſt quòd hîc ſerenum cælum ſit, alibi verò diuerſis tempeſtatibus concitetur, & quòd hoc loco principes & rerum cæleſtium contemplatores, alibi verò deterioris conditionis homines eodem tempore naſcantur. Non enim cæli tantùm configuratione, ſed etiam terræ quadam aptitudine fuerit opus, in qua varietas horizontis vel maximum momentum tenet. In omnibus ſculpitur omnium ſtellarum effigies, quod Heſiodus non ignorabat, dum deſcriberet Pandoræ natiuitatem, ſed nunquam inter ſe, vel cum terra conueniunt omnes eodem modo: interdum magis obliquæ ſunt, interdum ſuperiores, inferiores, dextræ, ſiniſtræ, multiſque alijs modis differunt, & eò differunt etiam ſingularum rerum formę: cùm enim vnus tantum ſemper & vbique ſui ſimilis ſit, oportuit vt hæc eſſet à ſe ipſa natura cõtinuò diuerſa. Ad hanc autem rerum varietatem, in his infimis plurimum poteſt horizon. Nam quanquàm cæli character, vt diximus, continenter imprimitur, non tamen ſemper ſui ſimilis eſt, nec eum omnia retinent eodem modo. Cùm autem in omnibus rebus incluſi ſint poſitus & motus omnes omnium ſtellarum, diurni, menſtrui, annui, Iouis, Saturni, oportet etiam vt partes harum rerum ſuperioribus partibus reſpondeant, & cùm illis pariter permutentur: ita diuidunt aſtrologi circuitum diurnum Solis, Lunæ cęterorumque ſiderum in ſuas portiones, & cæli partes cum partibus rerum & temporibus conuenire dicũt. Portiones autem totius ambitus duodecim faciũt, inter quas ea quę exoritur in initijs rerum, teneat principatum. Cùm enim opportunitas omnium rerũ mater ſit, quemadmodũ Pythagoras dicere ſolebat, quæ cæli motu poſituque proueniat, & in terram deſcendat, probabile eſt & conſentaneum experimentis & rationi, cum principijs rerum naturalium, initia quoque cæli conſentire: ſi modò ſint quicquam habituræ firmamenti. Nam ſi alieno vel tempore vel loco quidpiam fiat, id vel protinus intercidere, vel malè ſuccedere videmus. Continuus omnium rerum naturalium ordo ſemper pulchrè contexitur & euenta prima conueniũt cum primis cauſis. Initium autem cæli ſupputamus à parte exortiua: quoniam inde principium eſt mouendi. Inde ſtellas primùm cernimus, inde proficiſcitur nox & dies, inde cum cælo veniũt ad nos cæleſtes virtutes, quas etiam in ſtata ſua tempora expectent euenta. Itaque ſub auroram omnia recreantur & reficiuntur. Morbi non letales leniuntur, luctus & mœrores diſcutiuntur, exhilarantur omnia, iucundiorem & meliorẽ vultum induunt. Profectò longè diuerſiſsima facies eſt naturę matutinæ à veſpertina vel nocturna. Noctu omnia ingraueſcũt, periculis, timoribus

ribus & mœroribus omnia plena sunt: sed amœnitas omnis illa matutina propter lucem est, dicet aliquis, nec malè quidem dicet: & ideo pars illa cæli tam efficax est, quòd ex ea lux ad nos se primum extendit. Ab hac igitur fermè sumunt astrologi supputationem, qua numerent omnem naturam rerũ: siue vitam considerẽt, seu fortunam, seu mortem, seu aliud quod accidere solet in vita. Quemadmodum enim prima cæli pars cum initijs rerũ respondet, ita successus & exitus suis analogijs conueniunt cum reliquis partibus cæli. quapropter præcipuum & vnicum momentum huius artis in eo collocatum est, si consideremus quomodo cum oriente consentiant reliquæ partes cæli: vnde cognoscatur per motum & sitũ cùm errantium, tum etiam fixarum, quæ in ijs partibus propriam aliquam significatiònem habent, quomodo ab initijs vitæ cuncta progrediantur in suum finem. Et quidem satis constat ex his quæ iam diximus, esse distinctiones ædium cælestium ab horizonte præcipuè sumẽdas, quanquam etiam zodiacus & æquator suam virtutem habet: quatenus enim cum motu primo stellæ, pro varia cæli positione, diuersos circuitus peragunt, sex circuli in mundi se polis intersecantes, quatenus obliquo zodiaci motu ferũtur versus orientem cæli partem, circuli pòtius quadrãt, qui per zodiaci polos ducuntur, sed quatenus motus ad nos comparatur, horizontis situs omnem varietatem parit: nam quanquam omnes totum cælum, non tamen eodem positu cernunt qui in eodem planè mundi situ viuunt, magis similes sunt, quàm qui in diuerso: sed tamen inter se sunt admodũ dissimiles, etiam si sub ijsdem lineis parallèlis morentur: quod quidem varietatem terræ consideranti tam manifestum est, vt oratione non sit opus. Eiusdem paralleli regiones res diuersissimas producũt. Alibi citriferis hortis & pulchro virore semper omnia vernant, alibi viniferi palmites vberrimè proueniunt, in alijs locis magis luxuriat seges. Denique siue terræ cultum, siue hominum ingenia cõsideremus, ea videbimus omnia in diuersis locis longè distare, magis tamen vbi latitudinem quoq; regiones diuersam habent. tantũ enim inter Scythas & Aethiopes discrimen est, quantum inter homines esse potest. Quis itaque dubitare queat, quin maxima quædam potestas horizontis sit, qui secum affert nostri comparatione variam cæli posituram. Is igitur in initijs rerũ diligenter perpendendus est, & ea præcipuè pars, quæ cum sub ortum proximè attingit. Perpendendum est etiam quibus analogijs reliquæ cum illa respondent. Perpendendus Solis & Lunæ mutuus situs est, & etiam quem situm cum Oriente tènent: nec id tantum, sed etiam considerãdum astrologi putant, quantum inter se distent Sol & Luna: nam tantum quoque distare dicunt, fortunam hominum ab Oriente. cùm enim potentissimus Sol & Luna sint

na sint, inquiũt, & hæc etiam omnia præcipuè gubernẽt, necessarium est, vt quicquid nobis accidit, id ab eis maximè descendat. Sed quoniã omnia cæli motu posituque metimur, necessarium est, vt sit aliquod initiũ numerationis: id est ea præcipuè pars, quæ properat ad nostrum conspectum. In Sole potius sumimus initium ab æquinoctio verno, quòd tunc ab eo cuncta reuiuiscunt & vigorem adipiscũtur: vel à solstitio brumali, quoniam tunc Sol iterum ad nos redire incipit. Græci fortaßis ab æstiuo solstititio supputarũt, propter Solis altitudinem, & propter meßis & fructuum maturationem. Certè vbi alter motus & positus incipit, initium nouæ supputationis sumere licet: idq; est quòd astrologi singula æquinoctia solstitiaque consideranda putarint. Cæterarum autem stellarum errantium magnum initium sumunt potius à coniunctione cum Sole: quoniam ab eo lucem & virtutem sumant. Id sibi vult quòd videmus planetas soli motus suos in epicyclis accommodare. Certè Luna à coniunctione menstruam vim omnem à Sole capit. Sed quod est in Luna mensis, & annus in Sole, id est in tota sphæra dies, reuolutio videlicet perfecta circuli primi, quam, ad inueniendã fortunam & alia multa, præcipuè consideramus. Cùm autem eius initium sumatur ab exortu, hinc est quòd ab horizonte tantum interuallum sumant, ad inueniendam fortunam, quantum est inter Solem & Lunam, ab his enim præcipuè felicitas humana pendere videtur, & ideò tam diligenter in his negocijs eorum analogiam perpendendam esse putant. quemadmodum autem totus circuitus, ita partes quoque conuenire est necesse. Reuolutiones planetarum in gubernatione rerum omnes inter se conueniunt, & omnes conueniunt etiam cum circuitu diurno, non tantùm vniuersę, sed etiam earũ partes. Ita motum & positum mutuum planetarũ omniũ ab horizonte supputant, etiam in circuitu diurno, & ex fine numerationum depromunt vires, ordinem & tempora planetarum. Cùm autem singulorũ vim & omnium mutuam affectionem non ignorent, alios significare vitam, alios patrimonium, alios parentes, amicos, & coniuges, alios morbos & mortes, aliaque omnia cùm planetas & reliquas stellas significare & facere non ignorent, ea non tantùm proprijs singularum stellarum circulis, sed etiam circulo diurno describi putant: quòd eo sint etiam cuncta cõprehensa. Ita miro quodã artificio singularũ rerũ stamina pariter cõtexunt omnes Parcę. Res est profectò mirę subtilitatis: sed quæ rectè cõsiderãti sapiẽter videatur excogitata. Verùm nos nõ instituimus hic omnia perquirere, sed in vniuersum quædã cõsiderare. Nec enim omnia licet, cũ sint infinita: nec etiã si liceret cõferret. In omnibus enim artibus postquã præcipua quæq; memoria cõprehendimus, ingenio reliqua sunt cõmittẽda. frustra nimirũ memorię mãdet is qui ingenio caret, &

ret, & eũ qui ſagaci ſit mente præditus, nõ eſt neceſſe multa memoriæ mandare: ſed tamen cùm ingenio plerique non admodum valeamus, opus eſt aliqua recordatione rerum præteritarum, quibus inuẽtio iuuetur. Opus eſt vt quæ quiſque inuenerit præcipua, literis in artium formam deſcribat, ad ſubſidium & vſum poſteritatis. Ita enim nos vtimur tanquam memoria maiorum noſtrorum: nam ex eorum ſcriptis ingenium etiam & memoriam mutuamur. Non eſt itaque mirũ quod multũ ſciat is qui multa legit, quia plurimorum ingenia in animo ſuo gerit: ſed memoria anguſtior eſt, quàm & omnia etiam minutiſsima quæque comprehendat. Præſtat maiora concipere, in quibus etiam poſita ſunt alia minora. Nos igitur tantum aſtrologiæ pręcipua nobis propoſuimus, nec ea tam tractamus, quàm qualia ſint conſideramus. Longè itaque pars illa quæ exoritur in initijs rerum principatum habet, & ab ea ſumimus omnem ſupputationem. Tamen ſemper conſiderandum, quomodo reliquæ cum hac, cumq; alijs omnibus conſentiant: ſignificat autem prima cæli pars in natiuitatibus animi corporiſque vim & omnem educationem, cui Saturnus primus planetarum præeſt: Hęc autem etiam ὡροσκόπου nomen habet. Secundum locũ dignitate tenet quæ properat ad mediũ ſummi cæli, præcipuè ſi ſupra verticẽ proximè ſit collocata. Ita circa meridiẽ, æſtatis potiſsimũ tẽpore, ſolem potentiſsimũ ſentimus: nam à vertice radij recta deſcendũt, & valide colligũtur, obliqui verò facilè diffluunt & diſsipãtur. Hæc igitur pars ſumma faſtigia rerum, honorem ſcilicet, dignitatem, & quæ his conſentanea ſunt portendit. Quæ cæli pars iã occidere incipit, coniugia ſignificat, propter Lunam, fœminarũ patronam. Scribunt etiam occiduos ventos eſſe tam fœcundos, vt ijs equæ cõcipere poſsint. Ideo Zephyrus tanquam ζωάφερος dictus eſſe videtur. Caliditas enim & humiditas fertilitatis eſt effectrix cauſa. quæ feſtinat ad medium imi cæli, parentũ, rerum occultarum eſt, & patrimoniorum. Hæ verò quatuor iam dictæ partes centra cardineſque cæli nuncupantur, quibus maximè reuoluitur omnis fatorum poteſtas. Has ſingulas aliæ ſingulæ ſuccedunt, quas ἐπαναφορὰς vocant. Vt autem prima pars ſub horizonte matutino vitam, ita ſecunda neceſſaria ſignificat ad vitam, quæ tum ἀνάφορα, tum inferna porta nũcupatur: quæ imum ſequitur cælum. filiorum & delectationis eſt locus: ideoq; Veneri dicata eſt, & eã ἀγαθὴν τυχὴν appellant: quæ poſt Occidentem partem ἐπικαταφορὰς, & ſupernæ portæ nomen habet, in qua propter Saturnum timores & mortes degunt: in ea quæ poſt culmẽ cæli eſt, ἄγαθοι δαίμων moratur, qui amicos & fiduciam ſecum habet. Alię quatuor cæli partes ἐπικλιμάτων nomen obtinuerunt. θεὰ ab ὡροσκόπῳ ſecunda, fratres, ſorores, affines & legatos habet: quæ iam primùm euanuit ex noſtro conſpectu, lucis in-

teritu, morbos affert, & propter Mercurium sinistrum, fraudibus est plena. Pars quæ iam culmen cæli præterijt θεὸς appellata, propter Iouẽ, fidem, religionem & sapientiam continet. Vltimam verò Mercurio sinistro consecratam, κακοδαίμονος & inimicitiarum esse dicũt. Certè si fuisset admodum cum horoscopo coniuncta, natiuitas rei propositæ opportunitatem præterlabi nõ permisisset: sed ea quæ est medio cælo proxima, non est mirum quòd amicitiam cõtineat, quoniam per amicos ad honores uenire solemus. Harum autem partium vires partiuntur ordine planetarũ: nam quantũ ordo possit, quantumq; singula singulis respondeant, iam satis est demonstratũ. Quòd in duodecim omnia partes distribuerint, nõ est mirum, quoniam is numerus his rebus accommodatus est, & totidem etiam signiferi sunt portiones. Considerandum igitur cẽsent astrologi, quæ stellæ vel errantes vel fixæ sint in his partibus in initijs collocatæ, & inde coniectandum de natura & successu rerum. Stellas autem meritò veteres astrologi considerandas censent. Nostri homines dodecamoria ferè cum magno errore perpendunt. Ab æquinoctio nempe verno incipiunt signorũ supputationem semper eandẽ, cùm asterismi duplici motu continuò mutentur. Atqui stellæ considerandæ fuerunt potius quàm reliquę cæli partes, quarum nec videmus sitũ nec motũ. Sic igitur horizontis diuersitate magnam euentorum varietatem cælum producit. Quod autem de diebus & horis, planetis consecratis, dicunt, si alicuius momenti est, etiam in hãc considerationem venit. Certè consensus gentium ex aliqua, si nõ euidenti, saltem non ociosa naturę causa profectus videtur. Primum itaq; diem septimanæ soli pręcipuè tribuunt, secundum Lunæ, tertiũ Marti, qui proximus est, quartum Mercurio, quia proximus est Lunæ, & ita deinceps. Similiter primam horam dant planetæ, qui diei dedit nomen, sequentes ordine continuò reliquis planetis. Multa anteà diximus, & plura de ordinis virtute dicere possemus, sed nec necessariũ est, nec vtile, nec etiam nũc opportunum. Cùm autem astrologi cęli thema constituerunt, omnium stellarum in eo ex motu situque considerant virtutem, & potentiorem dominam appellant, quanquam reliquæ non sint interim omittendæ: nam singulæ suum ad initia, progressionem & exitum rerum obtinent momentum: sed illa præcipuè quæ maximam obtinet dignitatem. Est etiam aliqua cæli pars, quę vel plurimum huic aduersatur: quę quidem interimendi vim habet. Has autem partes duas præcipuè considerant, & spacium inter vtramque dimetiuntur, singulisque numeris singula tempora tribuũt, & sic interualla supputant à principio rerum ad finem. Quoniam ordine cuncta cum omnibus respondent: & è cælo causas rerum depromimus, quę continuò motu situque cælestium corporum permutantur. Sic

vide-

videmus esse perpetuam quandam vicissitudinem omnium rerum: in multis locis nunc profundum pelagus est, vbi quondam terra culta fuit: quædam regiones etiam nunc steriles & desertæ sunt, quæ fuerant olim fertiles & optimè habitatæ: quanta recensere celeberrima possemus emporia, quæ nunc planè sunt à negociatoribus derelicta. Ita cernimus gentes nunc desipere, quæ sapientiæ nomen aliquando tenebant: imperia quam varijs modis sunt mutata. Nunc multi populi seruiunt, qui aliquando latissimè regnabant. Olim in meridie floruit imperium & in septentrione, postea in exortu, nunc autem versus occasum. Profectò nihil in hac natura constans & perpetuum esse potest: nam omnia superiora corpora continuò labuntur, & in perpetuas vicissitudines hæc inferiora trahunt. quàm breui tempore, quàm frequēter cernimus sublimem regionem permutari. nunc serenus aër nunc nubilus est: si iam tranquillus confestim fit procellosus, idque similiter, multoque magis & sæpius animis nostris accidit: nempe necessarium est, vt hæc omnia cōtinuis suis vicibus impellantur.

Libri Secundi finis.

Nicolai Biesij Gandauensis de VNIVERSITATE LIB. III.

SEd libet humanæ quoq; nunc depingere formam
Naturæ, & miro exordiri hîc stamine telam
Difficilē. at nemo hanc paucis absoluere posset
Verbis, nempe opus est diuersos fila colores
Vt referant, & se flectant subtegmina gyris
Innumeris: sed nos crassè deducere partes
Tantùm præcipuas volumus, solumq; figuram
Demonstrare rudem: magnum perfecta requirit
Artificem, nec non longos summosq; labores.
Nempe homo mensuris breuibus cōplectitur orbem
Totum, elementa, globos cæli, mentēq; perennem. a
Dumq; tonis varijs illa inclyta numina ludunt,
Hasq; aptant omnes diuina ad crumata motus,
Ipse videt tanti pulcherrima facta theatri,
Continuoq; audit dulcissima carmina diuûm:
Ni mens ignauo sit planè oppressa lethargo.
Vrania octuplici plectro miracula rerum
Cantat, & hanc propior subitò quoq; voce canora
Calliope sequitur: cantuque humana mouentur
Barbita consimili. nam pars tenuissima summi
Cæli, animo concepta, pares est apta referre
Motus, ni vastis turbetur corporis vndis.
Altior ille tonus trahit ad cælestia mentem,

Atque

Atq; refert nullum quæ ſint peritura per æuum.
Proxima Muſa pio profert quoq; carmine doctos
Hymnos, mensq́; pari ſonitu compulſa, remoti
Non bene trita ſequi cupiat veſtigia veri,
Nec non abſtruſos rerum cognoſcere ſenſus.
Aſt ea quæ Iouiã citharam contrectat, honorem
Virtutis canit, ac pia corda cupidine legum
Incitat. & Clio violenti carminis œſtro,
Turgida magnanimis ſuccendit pectora flammis.
Melpomene aurata flectit teſtudine puros
Senſus, & magno diſcendi inflammat amore.
Dulcibus aſt Erato phthongis latè omnia ducit,
Mollia fœcundo demulcens viſcera motu.
Terpſichore aſtuto commõſtrat carmine thecnas
Multiplices, varios linguis effingere mores.
At terræ propior formoſa Thalia, remiſſo
Cantu, corporeos animum deducit in actus. [b]

a Pythagoras hominem omnium mẽſurá dicebat, vt eſt apud Ariſt.
b Orbiũ cęleſtiũ motrices vires Muſæ vocátur à poëtis. Vrania cęlũ, Calliope ſignificat octo ſphærarum concẽtũ. Stellæ verò ſuperiores continuò ſuperiorẽ magisq́; diuinam vim in animis & in corporibus habent: nam elementorum cælique regio, cumq́ue ijs etiam homines, mutua quadam analogia reſpondent. Polhymnia Saturno quodammodo cõferri poteſt, nam ſuperiora, nempe magis diuina, magis multiplicem continent virtutem, quàm Poëtæ conferút cũ muſicis tonis. Euterpe, bona oblectatio cum iuſtitia, ſimilis eſt Ioui. Mars animos & corpora vehemẽtius accendit. Solis temperatus calor rebus gerendis & intelligendis accommodatus. Venus moderato calore cũ humore, conuenit amoribus & procreationi. Mercurius varius eſt & verſutus. Luna humoris domina, tardius violento motu circumfertur.

Nempe homini varij virtus est insita cæli,
Atque suis numeris animum corpusq; gubernat,
Quos omnes solida est triadis complexa figura.
Nam quater octuplices hæc cõficit ordine phthõgos,
Et quatuor mediumq; quibus componitur orbis
Totus: at infracto cælestia cuncta tenentur
Nexu, qui totum non dissoluatur in æuum,
Corpora diuiduo, quem vis non magna relaxet,
Quemq; breuis poßit facilè exuperare vetustas.
Hunc homo diuinus simul & terrenus vtrunque
Continet, ac totas ratio geometrica nectit
Partes, & medijs etiam interualla duobus
Sunt coniuncta: vnum distinguit limite membra
Cuncta pari: ast aliud complectitur omnia vinclis
Arctis. nam simili mensura extrema tenentur
Excessusq;. modis his inclyta carmina texunt,
Ac ducunt placidas Musæ Charitesq; choreas.
His hominũ pariter corpusq; animusq; mouetur.
Hinc & epitrita, sescupla sunt, & epogdoa rerum
Interualla, breui diesique & commate secta.

Cùm animæ descriptione nihil admirabilius sit apud Platonem, hic paucis consideranda videtur. Principiò verò prima elementa cognoscere oportet, modò rei propositæ naturam simus intellecturi. At cùm mediam animæ naturam inter indiuiduum atque diuiduum, & eam suo more ex essentia eodem & altero compositá esse Plato dicat, inter eius sectæ philosophos non conuenit, quænam hæc sint extrema, inter quæ medium suum anima tenet. quidam, vt est apud Proclum, indiuiduum punctum, diuiduam magnitudinem, nõnulli verò illud mo-

nadem

nadem, hoc dyadem esse dicebant. fuerunt qui mentem & carentiam rationis, alij mentem communem & singularem. Plotinus, qui post Platonem etiam obtinuit diuinitatis nomen, per indiuiduum & diuiduum mētem & sensum intellexit: & hi quidem omnes, si quis beneuolè velit interpretari, non admodum malè dixisse videri possunt: sed tamen si exactè consideremus, inter punctum & magnitudinem, monadem & dyadem, nullum mediū esse potest. Rursus inter carentiam rationis, sensuum affectionem & intellectū, cùm substantię non sint, anima media quædam substantia dici non debet: quapropter rectius iudicat Proclus per indiuiduū intelligere Platonem, id quod semper idem est, primum nimirum exemplar, per diuiduum, corpus, in cuius diuisionem dum animę operationes vergunt, sentiendi vim acquirūt. Non autem sic intelligere debemus mediam animam, vt habeat certam analogiam ad extrema: nam alterum, exemplar scilicet prorsus est immensum: sed quòd aliquo modo sit in medio collocata: ita cùm quinque sint elementa rerum omnium, οὐσία, idē, perseueratio, alterū, motus, tria priora diuinis conueniūt, duo posteriora corporibus: cum animæ substantia idem & alterum conuenit, sed mediæ cuiusdam naturæ. ipsa nimirum medium quiddam est, & inferioris tanquam exemplar, superioris autem imago: ita ex medijs ipsa rerum elementis est cōstructa, substātia, quę nec penitus diuidatur, nec indiuidua prorsus sit: sed partim sit illius, partim autem huius naturæ. τὸ ταυτὸν etiam habet, quòd nec omnino ταυτὸν sit, nec ἕτερον & motum cui perseueratio quoque sit innata: ita secundum huius sectæ philosophos, quinque mediæ species factæ sunt, sic tamen, vt nō confundantur extrema. Vocant enim speciem substantiæ monadem, qua diuersa coniungantur in vnam naturam, non vtrisque confusis, sed ex ambobus, hoc est, inter vtraque medio quodam constituto. Nam diuersissimæ mentis & corporis conditiones, in vnam massam penitus commisceri non possunt. Anima itaque media inter mentem & corpus, fermè quemadmodum dyas inter monadem & tetractym collocatur. Propter similitudinem quam cum superioribus habet, est permanens, pura & ab omnibus his corporis perturbationibus exempta. Per similitudinem cum inferioribus, in suam compositionem digreditur, & in corporaturam vndique vergit: nec ipsa tamen ob numerum immotam substantiæ puritatem amittit, licet cogitatione per locorum temporumque compositionem distrahatur. Mens quinque rerum omnium genera monadis puritate continet, & eadem continet etiam anima singulis suis partibus, quæ quidem omnes arctè coalescunt in vnū: mens veluti centrū est, à quo reliqua deducantur. Diuisa verò corporatura continuò dilabitur, & tanquā æternę veritatis vmbra est, quæ cōfestim in nihilum,

propter materiam difflueret, nisi vis superior formarum, virtute monadis, singula per sua tempora contineret: sed hæc vis extenditur per magnitudinem & per tempus. Imò potius dũ in materiam educitur, magnitudinem ipsam cæteraq; contingentia corporata depingit. Anima mediam substantiam, ταυτὸν ἑτερόν τε tenet, quibus etiam tribus elementis media quædam motio perseueratioq́ue sit innata. Sic autem dicũt Platonici Deum hęc genera in animorum naturam commiscuisse, vt eorũ quæ coniungerentur substantiæ nõ corrũperentur: quemadmodum & duo lumina in vnum coniunguntur, & in animis nostris disciplinæ. τὸ ἕτερον autem efficit vt omnia non sint prorsus vnum, sed τὸ ταυτὸν quoq; ne sint inter se planè diuersa, & vt verè sint ipsa substãtia facit. per hãc anima tota, si sic dicere licet, ens est, & per ταυτότητα tota quodammodo mens est: per ἑτερότητα verò vita. dicit autem hæc elemẽta vi quadam in animæ compositionem esse commixta Plato: tum quo nobis eorum arctam compositionem significet, tum etiam artificis potentiam, qui quod est quodammodo contra naturam, naturale, & ex contrarijs vnum facere sciat. Sic igitur animam ex suis tanquam partibus in vnum philosophi componũt, & eam etiam omnem in numeros quosdam redigũt, de quibus hoc loco nobis est dicendũ. Vsus est potissimum Plato mathematicis rationibus ad animæ demonstrationem, quoniam euidentiores & à materia semotæ sunt, & quòd tanquam mediæ diuinorum & corporatorum, animæ videantur affines. Verùm cùm musici numeri sint in elemento medio, cumq́ue ijs etiam anima potius commoueatur, ideo putatur ex ijs præcipuè componi. Nemo siquidẽ ab humana natura tam alienus est, vt ijs non affici possit: sed cum ijs cætera non tantopere commoueri videamus, ob id homini maximè proprios esse iudicarunt, quibus sit ab aliarum rerũ natura diuersus. summam autem vim, vt in alijs omnibus, ita & hic quoque monas habet, cuius æquabilitas est proxima quædam similitudo: & ab hac omnes analogię deriuãtur. μεσότητες etiam ex analogijs fiũt, quibus totum musicum σύστημα, tanquã efficacissimis vinculis est vndique comprehensum: idq́ue & animæ naturam ipsam continere putatur: inter omnes μεσότητας tres obtinent longè principatum. arithmetica dicitur, dum excessus defectusq́ue mutui numerorum sunt continuò pares, vt. 2. 4. 6. in geometrica rationes numerum arctissimè conueniunt, quanquam excessus sint diuersi, vt 2. 4. 8. hæc à Platonicis ταυτότης appellatur, & per ἀντονομασίαν propriũ generis nomen habet. Harmonica musicis præcipuè negocijs est accommodata, in qua medius numerus, extremorũ simili parte superat & superatur: vt 3. 4. 6, & hęc similitudinis proprium nomen habet. Eiusmodi medijs animã, quæ vinculum est æternitatis & huius corporaturæ, deuinctam esse

putant

Animæ numeri in genere Diatonico secundũ Platonem.

9
tonus
8

256
lemma
243

2187
apotome
2048

531441
comma
524288

Inter 1.2.3.4 est μεσότης arithmetica, in qua numeri spectantur & æquabilitas differentiarum. Inter 1.2.4.8. & rursus inter 1.3.9.27 est μεσότης geometrica, in qua mensura & ταυτότης. Inter 6. 8. 12 est μεσότης musica, quæ ponderis & similitudinis nomen habet.

		1.	384	tonus	
			432	to.	
			486	lemma	
			512	to.	
			576	to.	Hic finit analogia prima Hemiolia, seu sescupla, & diapente.
			648	to.	
			729	lem.	
		2.	768	to.	Hic finit prima epitrita, seu sesquitertia & diatessaron, quæ cum antecedenti diapenti duplam & diapason facit.
			864	to.	
			972	lem.	
			1024	to.	
Hypodorius	Prosłambanomenos	3.	1152	to.	Finis secun. Hem. & primæ triplæ
Hypophrygius	Hypate hypaton		1296	to.	
Hypolydius	Parhypate hypaton		1458	lem.	
Dorius	Lychanos hypaton	4.	1536	to.	Finis secund. epit. & secundæ duplæ.
Phrygius	Hypate meson		1728	to.	
Lydius	Parhypate meson		1944	lem.	
Mixolydius	Lychanos meson		2048	to.	
Hypermixolydius	Mese	6.	2304	to.	Finis ter. Hem.
	Paramese		2592	to.	
	Trite diezeugmenon		2916	lem.	
	Paranete diezeugmenon	8.	3072	to.	Finis ter. epit. & ter. dupl.
	Nete diezeugmenon	9.	3456	to.	Finis secund. triplæ.
	Trite hyperboleon		3888	lem.	
	Paranete hyperboleon		4096	to.	
	Nete hyperboleon	12.	4608	to.	Finis quar. Hem.
			5184	to.	
			5832	lem.	
			6144	to.	Finis quar. epit. & dupl.
			6912	to.	
			7776	lem.	
			8192	to.	
			9216	to.	*Finis vltimi diapen.*

putant. Propter arithmeticum mediũ eius diuersæ partes varias actiones edunt, quòd earum distributio nulla fit analogia coniuncta, quanquam excessuum æquabilitatem seruent. Per geometricum medium, partes omnes in eandem substantiam connectuntur: nam ea est ratio maioris extremi cum medio, quæ medij cum minori. sed harmonico medio omnes etiam differentiæ arctissimè conspirant in vnum, non enim tantùm medium cum extremis similem rationem habet, sed & excessuum quoque eadem est analogia quæ extremorum. His igitur tribus rationum ordinibus animæ natura pulcherrimè contexitur secundum Platonem, & vario discrimine numerorum exornatur. series autem numerorum hæc est, quæ se per totam animæ naturam extẽdit: vnã accepit Deus, vt inquit ille philosophus, totius animæ partem primam, atq; cæteris dignitate præstantiorem, & constituit mentem animæ fastigium, quo quidẽ assurgeret in ipsam æternitatem. sed quoniam inferiorum gubernationi destinata, commercium cum corpore penitus diuiduo fuerat habitura, per τοῦ ἑτέρου naturam, sic à τῷ ταύτῳ digredi debebat, vt tamen illud ipsum τὸ ταυτὸν interim secum semper haberet. Quapropter accepit Deus aliam quandã partem, quæ sic esset ad priorem, quemadmodum dyas est ad monadem: nam cùm ad corporaturam progresio fieret, τὸ ἕτερον æquabilitatem quidẽ excludebat, sed τὸ ταυτὸν eam quantũ oporteret tuebatur. Hæ verò partes inter se tam egregiè conueniebãt, vt prorsus idẽ esset earum discrimen: dyas enim à monade sola monade differt. Nunquam siquidem eam deponere possunt res, illæ præsertim, quæ diuinis sunt proximiores. iccirco Diapasῶν omnium iucundissimè consonat, teste Pythagora, quòd duplo celerius vna chorda, quàm altera continenter in suam rectitudinem reuertatur. Per primam itaque partem anima contingit ipsam æternitatem, per secundam verò iam diuiduam ratiocinatur & varias res inter se comparat, ita tamen, vt semper vi prioris partis iudicium ferat. Sumpsit etiam Deus tertiam animæ partem, quæ sit ad secundam sescupla, ac longius quidem adhuc digrediatur, sed propter monadem tamen rursus ad suum se principium flectat. Continet enim trias ambas partes dyadis, & insuper alteram, quæ media est, adeóque consona, & etiam eadem cum prima. Itaque nonnulli diapenti principatum inter symphonias dederunt: retrahit hæc animæ pars, propter indiuiduam triadis & monadis virtutem, progressum rationis ad principia cognoscendi: aliam verò partem adiunxit Deus, quadruplicem ad primam, quæ quidem multiplici diuisione magis in corpora vergeret, disdiapasῶν sonaret, & eam comparationem ad secundam, quam hæc ad primam haberet: exhibet autem hæc opera virtutis sensitricis, quæ quidem ad phantasiam vt ratio sit ad mentẽ. Phanta-

ſia verò tanquam eſt alter quidam intellectus, & rationem ipſam attingit. Quinta verò facta pars eſt, quę ſit ad primam quemadmodum nouem ad vnum, contineatque ter diapaſῶν & tonum, ad tertiam autem eam habeat rationem, quam ad primam tertia, ſic etiam à ſecũda quartaque diuerſa ſit, vt interim conſonet cum illis, & reducat ſenſus noſtros in phantaſiam. Eſt enim ennas tanquam circulus triadis, quam etiam ter continet, vt & trias monadem: ita mira ſerie numeri à monade procedunt, & ad eam iterum reuertuntur. Animus dum à faſtigio ſuæ puritatis digreditur verſus corporatam veritatem, neceſſariũ quidem eſt, vt quodammodo diuidatur, ſed niſi continenter ad ſeſe redeat, verè ratiocinari nequit: nempè gradatim ſemper à diuiſis his anima ſurſum ſe flectere debet. Senſus res tantum ſingulares percipit, ac iam vehementer à monade eſt diſtractus: ſed tamen etiam ipſe redit in vnum ſenſum communem. Nimirũ à ſuperioribus hæc inferiora cuncta proficiſcuntur, & ad ſuam originem continuò reuerti volũt. Qualis eſt igitur ad mentem ratio, talis ad phantaſiam eſt fermè ſenſus, niſi quod ratio per phantaſiam vſque in ſenſus ipſos ſe diffundere, perque longiſsimos ambitus ad mẽtem redire ſolet: ſenſus autem ſe nunquam attollunt ad rationem. Sed alia quædam pars eſt facta, quæ toties continet primam, quoties ogdoas monadem. Hæc cum ſecunda quartaq; conſentit, & cõfert ad humanæ vitæ per corporis molem progreſſum: eſt enim quadrantal dyadis, cuius tanquam epipedon ſit media tetractys: ſic inter ſe conueniunt ratio, ſenſus & vita. Septima poſtremaque pars ad primam eſt, vt viginti ſeptem ad vnum, & hęc cum imparibus, monade nimirum & ennade cõuenit, & vitam per triplicem corporis dimenſionem effuſam, in vnum coniungit, quemadmodum & rationem mẽs & ſenſum phantaſia, eſt enim vigeſimus ſeptimus numerus cubus triadis, cuius ea vis eſt, vt diuerſa inter ſe pulchrè connectat: ſic ex ternione bis reuoluta producitur animæ natura. Septem igitur partes animę ſunt: heptas enim, cùm nec ex duplicatis numeris proueniat, nec infra decadem ipſa duplicata quenquam producat, eſt Palladi potiſsimum conſecrata: componitur etiam ex diuina ternione, corporataque tetracty: qui quidem duo numeri meritò perfectiores inter cæteros habentur: illa inter numeros impares, hæc autem inter numeros pares. Itaq; ſeptenis circuitibus plurima perfici videmus. Corpus poſt ſeptimũ mẽſem cõformationis ſuæ maturat in hãc lucẽ, ſeptimo mẽſe dentes pullulaſcunt, & ſeptimo anno permutantur. Annorum autem ſecunda ſeptimana pubertatem affert: tertia barbam, quarta finem incrementi, quinta iuuentutis abſolutum robur. in ſeptenas formas lunæ facies permutatur, ſeptenoque numero planetæ ſunt, per ſuos phthongos diuiſi, totidemq; diebus omnia numerantur & fiũt: vt ob hæc

hæc aliaque multa argumenta, minimè mirum sit, si ortum & interitum rerum, hoc numero fermè supputemus. Vbique verò numeris imparibus pares interserit Plato: quoniam omnia diuidua sunt in diuiduis semper comprehensa. Progreditur etiam ad vigesimum vsque septimum numerum, primum scilicet imparium quandrantal, quo significet ad corporatam naturã animæ progressum. Pulchrè quoque vigesimus septimus ex antecedentibus in hac descriptione componitur, & partes etiam eius omnes mira quadam analogia connectuntur. Per primos duplices & triplices numeros, anima ab intellectu digressa ad eundem iterum redit: per secundos autem in corporaturam effusa rursus ad sese reuertitur. Heptas autem etiam ob id est animæ vehementer accommodata, quod binas triadas continet, per monadem planè coniunctas: at inter triadem & heptadem media pempas est, quæ duplicata decadem, veluti circulum omnium rerum, profert: sed quælibet animæ pars quinque genera rerum, adeoque singulas etiam alias monade continet, in cuius substantia nec indiuiduum nec diuiduum, nec idẽ, nec alterũ, nec etiam perseueratio superet aut motus. Inter eas verò partes quæ longius distarent, Plato quædã media tam concinnè collocauit, vt non tantùm σύστημα totum analogia geometrica contineretur, sed etiam propter hæc media, tam harmonica quàm arithmetica decenter esset distinctũ. igitur ex huiusmodi nexibus in maioribus spacijs sescupla, epitrita, & epogdoa facta sunt interualla. μεσότητες autẽ commodè poterunt inseri diastemati vniuerso, si primũ geometricam diuisam accipiamus: sic vt alterum medium arithmeticum sit, alterum enim necessariò harmonicũ erit: vt duo & quatuor in duplici sunt analogia, quòd si tertium adiungamus numerum (nempe senarium) qui dyade superet secundum, quemadmodum & secundus primum, fiet arithmethica μεσότης. quòd si duodecimum adnectamus, qui quidem est ad tertium, vt ad primum secundus, erit in his numeris μεσότης geometrica, sed diuisa: nam interrumpitur per diuersam tertij ad secundã analogiam, quæ quidem sescupla non dupla est: sed cum analogia tertij ad quartum harmonicam μεσότητα producit: sex enim medius numerus superatur à maiore eius parte dimidia, superatque minorem, quatuor scilicet, eius dimidia quoque parte, quod μεσότητος est harmonicæ peculiare. Sic igitur tribus his medijs contexere licet musicum systema. Quanquam autem hæ maiores animæ partes optimè consonent, non adeò coniunctæ sunt in idem, vt nullo modo sint inter se diuisa: sed à mẽte in rationem, & ab hac in phantasiam, sensum & vitam, per minutiora quædam, & tamẽ omnino consona media fit descensus: sic in corporatis ab vno in alterum, per mediam aliquam & quidem in infinitum diuiduam magnitudinem fit motus: & tamẽ est aliquid indiuiduum

uiduum, quò minus non admittit rerum natura. Quanquam autem anima magnitudinem omnem excludit, tamen est in incorporatis semper aliquid, cuius similitudinem corporatura gerat. Itaque minores in cantu phthongorum analogię nobis quoque placent, quod non fieret, nisi similes diuisiones anima contineret: quapropter rectè Plato maiora spatia lemmatis & epogdois impleuit: nã epogdoi soli spaciola quædam vacua relinquerent, quod quidem nunquam patiatur natura. Duo toni epitrito sunt minores: eo verò tres maiores sunt, & tamen & hi sescuplo sunt minores. Hanc autem supputationem primus Pythagoras adinuenisse fertur, & interualla canendi ad numerorum rationes accommodasse: dum enim ille duas chordas ita ponderibus tetendisset, vt eundem sonum redderent, ac alteri duplex pondus adiecisset, sentijt ambas inter se pulchrè consonare. Hunc autem consentum ipse diapason appellauit: quòd canendo iudicaret phthongos remotius digredi non oportere. Cùm autem ponderi duplici epitritum detraheretur, reliquum sescuplum cum primo iucundissimam etiam symphoniam edebat: idq́ue diapente vocabat, quod quinque phthongorum contineret interualla: alteram duplicis analogiæ consonam partem, quæ spacia tantum quatuor comprehendit, diatessaron nuncupabat: quo verò cantus continuò sursum atq; deorsum decenter suum concentum seruaret, minoribus etiam quibusdam gradibus erat opus. Cùm itaque diapasων ex sescuplo & epitrito componatur, hæc etiam spacia iustis ponderibus diuisit in tonos. Est autem tonus interuallũ epogdoon, dũ vna chorda continet alterã, & insuper octauam eius partem: sed cùm tres tonos sescuplo minores, quatuor verò maiores, & similiter duos esse minores epitrito, tres maiores deprehenderet: duos ab epitrito, tresq; à sescuplo detraxit, & inuenit reliquum tale spacium, quale est inter ducenta quadraginta tria, & ducenta sex & quinquaginta. ita ratio ponderum pulchrè profectò cum arte numerorum quadrat: nam si duas rationes epigdoas ab epitrita, vel tres à sescupla subducamus, idem etiam spaciolum relinquetur: idq́; lemma vocarunt, & etiam semitonium minus: nam cùm tonus octauam contineat, hoc minus habet, quàm decimam octauam. Diuisit itaque Pythagoras diatessaron in duos tonos & lemma: in tres verò tonos & lemma, diuisit diapente: ita diapason continet quinque tonos integros & duo lemmata. Quòd si sescuplum addatur analogię duplici, prouenit triplex analogia. Duplex verò duplici coniuncta, quadruplicem facit, hoc est, disdiapason: quod etiam in prouerbium abijt, quoniam vlterius modum humanæ vocis extendi non debere veteres, nobis nimirum modestiores, iudicarunt. Hac igitur arte Pythagoras musica inuenit interualla, quæ cum numerorum ratio-

rationibus omnia planè consonarent: quoniam numeri cum suis analogijs produxerunt omnẽ rerum naturam. In instrumentis verò musicis fermè triplicem deprehendimus analogiam: primam in chordarum, exempli gratia, diuisione, secundam in ponderibus, quibus intendũtur, tertia in chordarum crassitudine est sita. Crassior itaque chorda quamuis pari pondere trahatur, grauiorem sonum reddit, & chorda breuior acutiorem, & ex natura numerorum hæc omnia manarunt. Verùm iam cognouimus quid diapason sit, quid diapẽte, quid diatessaron, tonus & lemma. ablato verò à tono lemmate, reliquã maiorem eius portionem apotomen appellarunt, & spatiũ quo apotome maius est quàm lemma dixerunt comma. Hæc autem omnia per subductiones & additiones numerorum facilè possunt inueniri. Itaque anima secundum hanc sententiam eiusmodi consonus & vnus omnino numerus est: sed quoniam liberum hunc naturæ nostræ motũ habemus, in eo posita recta vitæ ratio est, si optimos quosq; phthongos frequentissimè pulsemus: consonant autem pulcherrimè numeri quos multiplices, sescuplos & epitritos vocant, quoniam maximè conueniunt in idem: reliqui quorum partes repetitæ nunquam exactè totius mensuram absoluũt, propter diuisionis inæquabilitatem, malè sonant: nam vna tantum veritas est, & vna felicitas, quæque magis in vnum conueniunt, magis sunt secũdum naturam: verùm quoniam ad vigesimum vsque septimum numerum animæ diastema Plato extendit: idque totum implet ijs numeris, de quibus iam diximus, operæpretium fuerit totam eorum seriem hic explicare, quod quidem difficilè non erit, si talem primum numerum inuenerimus, qui per octauæ partis sui coniunctionem, continuò crescat in phthongos, & in tertijs & quartis vicissim interuallis, detracta primum vigesima septima numeri posterioris, reliquique decima octaua parte adnexa vniuerso, proximus excrescat alius numerus, qui cùm priori lemmatis rationem contineat, ad supplementum epitritorum & sescuplorum. sed Plato generis diatenici, quod tonis & semitonijs cõtexitur, & moderatius est, animęq; magis accommodatum, exemplum nobis proponit: quo nos etiam solo nunc nouimus vti: quanquam in chromatico & harmonico idem demonstrari potest. Chromaticum vocant, cùm spacia lemmatis diuiduntur. Harmonicum cùm etiam lemmata secantur in dieses. Dieses verò dimidiæ lemmatis portiones appellantur: sed necesse semper est, vt interualla, quo consona sint, suas analogias obseruent. Itaque cùm maioris operis hæc duo genera sint, non est mirum quòd sint à nostris hominibus relicta. Continet autem totum animæ diastema secundum Platonem quater diapason, diapente atque tonum: cùm tamen veteres paucissimis tonis fuerint contenti. Primum enim tetrachordum à

mesa ad hypate meson se tantum extendebat: deinde aliud adiunctum est, inter mesam & proslambanomenam diuisum, quod cũ priori diapason integrum contineret: & aliud insuper inter mesam & paranete diezeugmenon, cum prioribus in vnum est coniunctum. Quartumq; rursus diuisum, cuius extremæ chordæ sint nete diezeugmenon, & nete hyperboleon. Ita factũ est disdiapason, quod quindecim chordas & interualla quatuordecim haberet. Octo nimirum chordis septẽ interualla continentur: sed cùm secundum diapason adnectimus, media chorda, quæ prioris postrema fuerat, fit etiã prima secũdi. Adeò septenos numeros amplexatur ipsa rerum natura: sed posteriores musici, post mesam tres insuper alias chordas inseruerunt, quas ob id ipsum etiam synemmenas appellarunt. Nostri insuper alias duas adiecerunt. Plato verò quoniam in corporaturam vsque progressum animæ nobis voluit significare, totum systema in ternionis vsque quadrantal diducit. Illud autem ait Deum in rectam lineam collocasse, quam bifariam sic in longum secuerit, vt ambo segmẽta ad pũctum quoddã medium concinnè coniungerentur: quæ quidem postquam in χ literæ formam inflexisset, vtrinque deinceps in circulum intorquebat: vnum externum, qui sit eiusdem naturæ circulus appellatus, alterum autem internum, circulum alterius naturæ, septies per duplicia tripliciaque diuisum interualla, & illum in dextram, hunc autem in sinistram motus continuationem impulsum esse dicit. Per lineam rectam indicare videtur animę progressum à mẽte versus corporaturã. Primã magnitudo linea nimirũ est, quæ suo motu producat epipedon atq; hoc similiter corpus producit. Per circulum intelligit animæ reditum ad superiora, per diuisionem, superiorem & inferiorẽ eius portionem, in qua tamen vtraque omnes numeri, hoc est ipsa sit tota. decẽter autem partem vtranque mediam quidem ex medijs rerum elementis compositam in vnum coniũxit, insuper vndiq; mente penitus comprehẽsam. superiorem autem circulum qui mentẽ proximius attingit, ob id eiusdem circulum vocauit, cui firmamẽtum analogia sua respõderet: agit enim de anima mundi, è cuius tamen reliquijs nostram quoq; factam esse dicit: vt hæc ab illa facilè posit cognosci: nam si verè microcosmus homo dicitur, oportet vt totius mũdi similitudinem quandam gerat: qua percipiat veritatem & vicisitudinem omnium rerum. Certè vidimus eos qui pariter & medicinam & astrologiam egregiè tractarũt, partes corporis humani partibus naturæ totius decenter accommodasse. non autem hæc dico, quòd animam mundo præesse velim, sed quòd omnia secundum rationẽ in mundo fieri videam, ac descriptionem animæ, quæ est apud Platonem nunc considerare cupiam, quæ animæ nostræ quoque posit accommodari. Inferiorem igitur animæ circu-

circulum, qui magis ad corporaturam vergit, alterius circulum appellat Plato, qui sit planetis destinatus, & obliquè motu potius opinionis feratur, vt & ille recta motu rationis in mentem: & huius circuli motus multiplex est, illius verò simplex. Quanquam auté dextrum, sinistrum, obliquum, rotundum aliaque generis eiusdem omnia corporata videantur, tamen hęc Platonici prius intelligunt in ijs quę corporatura carent. quòd corporata nimirum ab incorporatis suam originem sumpserint, nec in effectis quicquam sit, quod prius non fuerit, quanquam alio quodam modo, in suis causis: non igitur ob id corpus animam esse scribit Plato, quemadmodū Peripatetici putarunt, quod circulorum mentionem facit. Dextrum autem & sinistrum id intelligimus, vnde principium est mouendi. Motus igitur ad dextra versus intellectum est, ad sinistra verò versus corporaturam. Primus qui à dextris incipit & ad dextra redit, ab exortu nimirū in exortum, perq; quadrati latus, quod quidem continet rationem, secundus autem ab occasu in occasum est, per obliquam diametrū, quæ ratione caret. Laterum enim quadrati ratio est, nulla verò dimetientis. Hunc auté vniuersum numerum Platonici philosophi per se moueri putarunt. quod autem anima nunquam quiescat, ex voluntate, ratione, sed potissimum ex vita facilè cognoscere licet, quæ est in perenni quodam motu: quòd autem non impellatur ab alio tota, proprius liberæ voluntatis motus, cui mens etiam obtemperat, manifestum facit: vires autem eius inferiores, à superioribus proficiscūtur, & corpus, quamdiu viuimus, continenti motu comprehendunt. Vnde quoque motus animæ facilè cognosci potest. Verùm etiam anima non tantùm se mouet, sed à commoto corpore, per affectus, sensus & dolores cōmouetur. cumq; corpus etiam ab externis cōmoueatur, fit vt internis animæ in corpore motus, aliunde vel iuuetur vel etiam oblędatur. Est igitur anima secundum Platonem numerus qui se semper mouet, & etiam corpus adiunctum, nisi quatenus ad corporis motum aliunde impeditur. In rebus crassis istis, aliud est quod mouet, aliud quod mouetur, & tertiū in quo fit motus, tempus scilicet & locus, et ab his etiam omnibus motus est diuersus. In anima verò, quā seipsam mouere dicimus, prorsus idē est quod mouet, & id ipsum quoq; quod mouetur: & ob id etiam ab ijs ipse motus diuersus esse nequit. Per motum autem intelligimus ipsam illam in incorporeis energiam. Hæc cum fluat ab eo quod mouet in id quod mouetur, si diuersa foret, in aliud profectò ferretur: at animæ sunt suimetipsius quædam energiæ: & ideo cùm se mouent, se deserere nequeunt, contrà quàm Themistius putat. Vbi verò quod mouet quodque mouetur prorsus idem est, ibi motus diuersum quippiam esse nequit. In corporatis verò cùm per magnitudinem

continuò ferantur, nec omnia puncta simul consequi posSint, prius & posterius, tempus atque locus desideratur, non autem in anima, vel mente potius, nisi quatenus eius operationes per corpora diuiduntur. Cùm igitur anima non tantũ corporis vel energia vel continuæ perfectaque comprehensio sit, sed etiam energia suimetipsius, inde Plato eam immortalem esse demonstrat: nam in ijs quæ mouentur aliunde, quiescente causa, necessarium est motum pariter interire. Cùm autem anima causa sui motus sit, imò verò ipsemet suiipsius motus, nihil id quod mouet, ab eo quod mouetur, aut ab his ambobus motum separare potest. Vnde fiat vt anima se nũquam desinat mouere: nã quies, cum carẽtia tantum sit, aduersus motum nullas vires habet: nec etiam corpora aduersus incorporata, quę superiora sunt & alterius planè naturæ. Quod autẽ incorporea sibi perniciem afferre non posSint, inde cognoscere licet, quòd contraria natura non sint, quodque sint potius ad quietem quàm ad motum & ad perseuerationem quàm interitum facta. Cùm autẽ Peripatetici motum semper in aliud vergere dicunt, idque per interitum prioris, in corporatis verum est, quæ quidem ab alio mouentur, ac continuò transeunt in eius quod mouet naturam: quoniã energia semper in alio sui similitudinẽ producit: at anima cùm motus sui sit, ob id minimè mortalis est: nã si quid in ea diuersum esset, id ipsum ad similitudinem perpetui motus, cõtinuò redigeret. Per motũ autẽ more Platonicorũ intelligimus omnẽ energiã: sed quoniã in immortalitatẽ animę ex motu incidimus, nunc eius alia quędam argumẽta proferamus. quod si posset vllo modo anima perire, id à vitio fieret, quod nimirum eius naturæ maximè aduersatur: nam anima circa summum bonum præcipuè moueri debet, vitium autem motus est à bono: vnde cognoscere liceat etiam euidenter eam à se moueri: nam si à solo corpore moueretur, incorporea non cognosceret, si à solo Deo nunquam deflecteret à bono: nam mala nec à naturę necesSitate nec à Deo proficiscũtur, sed ab alio quod liberum etiam ad bonum motum habet, adeoque id ipsum etiam cognoscat, bonum inquam non naturale tantum, sed potius id quod & vitio repugnat, & est superius huic corporaturę. Id autem quod incorporea cognoscit corporeum esse nequit: quoniã natura non patitur, vt vel energiæ naturæ vel effecta causis sint priora. Quòd autem incorporea comprehendat anima, genera rerũ etiã faciunt manifestũ, vt interim omittã, quod substantiam corporibus superiorem non ignoramus. quoniam igitur anima se frequenter vitijs dedit, & incorporea comprehẽdit, est incorporeus quidam sui motus, qui cùm corpori quoque vitam afferat, non debeat esse obnoxius morti: nam alioqui etiam sapientia iustitiaque desiderari posset in Deo, si gloriam suam cũ hominibus extingui pateretur, nec

post hanc vitam meritis pręmia vel pœnam repēderet, cùm in hac vita bonos fermè miseros, & felices improbos esse cernamus.

Sed non concentu rythmóue mouentur eodem
Semper, & harmonico, nōnunq̄ et chromate gaudēt.
Nunc Phrygius Lydiúsue placet, nūc Dorius. almo
Hic animos diuæ virtutis ducit amore.
Hoc syluas Orpheus Amphyon saxa trahebat,
Atq; hoc Pieridis potius moderantur Olympum.
Flebilis est Lydius, nullosq; in prælia neruos
Continet, & potius Phrygius compellit ad iram.
Magnus Alexander præceps ferebatur in arma,
Poscebat subitos gladios fortesque loricas,
Cum tuba iam Phrygios rythmos lituúsue sonaret.
At si quis Lydioque tono cytharaque canebat,
Ensibus abiectis, commercia ludicra, mensas
Ignauas, ludos molles, Veneresque petebat.
Apta animum facili compellunt crumata tactu:
Seu digitis plectrísue tremat bene iuncta recuruis
Chorda lyræ, seu dulcisono cum murmure turgens
Fistula conceptas reddat cauitatibus auras.
Est etenim numeris penitus deuincta sonoris,
Et pura monadis virtute. hæc maxima rerum
Mater, consimili partu mundumque hominemque
Progenuit, mentemq; dedit quæ cuncta gubernet:
Hæc autem æterni planè spectacula veri

Intus perfecto semper videt omnia sensu.
Dumque animæ humanæ latè spaciatur in orbe,
Si quandoque via fuerit progressa tenaci,
Confestim veri soliti vestigia noscit.
Non tam difficilem dat semita trita laborem.
At si dura via est, nisi magno pondere, nulla
Signa manent: impressa tamen non vlla vetustas
Consumat, nunquam violentus diluat imber:
Qui tamen est memores solitus confundere formas.
Nota via est facilis: sed longo excurrere tractu
Ignotoque iuuat, modò ne in decliue feraris
Præceps, aut contra nimium sublimia tentes.
Icarus alta petens nimis, est delapsus in vndas
Icarias, monstrans qua sit ratione volandum.
Si cupis æternum veri cognoscere vultum,
Diuinum captes vitæ probitate fauorem,
Et precibus: nulla possunt ratione probari,
Quæ superant hominem mysteria: sæpe precanti,
Sed tamen optatas summus Deus exhibet aures.
Mentes iam recubant vestræ sub nocte profunda:
Hæc lux vestra iacet crassa tellure sepulta,
Nec licet his densis tenebris peragrare remotas
Immensasque vias. discendi ò dira libido.
Immensum hoc arcto frustra comprendere tentes
Sensu, teque Deo maiorem reddere, stulte
Desine inaccessas nimium disquirere causas.

Vult

Vult Deus hos animos tantùm ſeruire paratos.
Firmior humana eſt quauis ratione. labantis
Indicium fidei eſt dubia inquiſitio ſummi
Veri.[b] *ſed primùm poſſunt ratione doceri,*
Illi qui nequeant diuinum cernere lumen
Ægrotis oculis. ſic vidi ſæpe moratos
In denſis tenebris, ſubitò nequijſſe patentem
Ferre diem, ſenſimq́; oculos aſſueſſe coruſco
Soli. nam ſubitò pereunt hæc omnia motu.
Sed regina animæ faſtigia ſumma voluntas
Obtinet: hæc mentem ſurſum dum vertit, aperto
Æternos vultus ac diuo lumine cernit. [c]
Et cum anima in medio ſit corporis atq; Deorum,
Tellurem pedibus contingat, vertice cælum,
Continuò ratio fertur ſurſum atque deorſum,
Sic vtrinque ſui veri veſtigia carpit.
Vere apis omniuago per florida prata volatu,
Sedula melligeros ſic vndique libat odores.
Diuerſo confert motu diſcrimina rerum,
Et monadis verum & falſum menſurat amuſsi.

a Si poſſemus comprehendere ſapientiam Dei, eſſemus eo maiores: imò ne factorum quidem omnium ratio quærenda eſt ſecundũ Theophraſtum, quoniam animus ſeipſo ſuperioribusq́ue maior eſſe nequit.
b Dubia eſt inquiſitio rationis de rebus diuinis, ſi cum fide cõferatur.
c Humanis oculis tantũ humana videmus. Deum diuino lumine cernimus, quẽadmodũ etiã in Tim. in Gor. in Cõui. Platonis diſputatur: nam etiam Ariſt. ab intelligibili mentẽ moueri dicit, ac ab ea demum, cum commercio corporis careat, veram rerum eſſentiam apprehendi.

Monade

Monade cognoſcimus diuerſa, vel vnum eſſe vel non eſſe, adeoque affirmationem & negationem, veritatẽ & falſitatẽ, vt eſt apud Proclũ.

Quoniam de animæ natura quędã ex ſententia Platonis diximus, nunc eius ſuperiores facultates breuiter enumeremus. quòd corpus noſtrum componatur ex quatuor elementis, & ætherea quadam natura, ſatis eſt manifeſtum, & etiam quòd ſimplicia ſimplicem compoſitaque compoſitam obtineant facultatem: vnde mutuæ rerum actiones & affectiones initiũ ſumant. Oportet igitur, vt & corpora noſtra contactu virtutis externæ ſtatim commoueantur, & animæ pariter, quæ, tanquam ſui proximam imaginem, ea natiua quadam affectione contingunt: ita corporis affectio, quæ ſit alicuius momenti, confeſtim ad animum adiunctum transfertur, & eum primum motũ ſenſum appellarunt. Prima autem affectio caloris eſt, humiditatis, frigoris & ſiccitatis: & quoniam elementa vario poſitu commiſcentur, æquabilitas poſitionis lęuitatem, inæquabilitas aſperitatem parit: quoniam etiam à nobis afficiuntur externa corpora, quatenus introrſum cedunt, mollia dicuntur, & hæc omnia percipiuntur ſenſu quem appellamus Tactum. Verùm cùm noſtrum corpus proprio & externarũ rerum motu cõtinuò diffluat, opus fuit illud ſubinde cibo potuque reſtaurari, ideóque factum eſt inſtrumentum, quod eiuſmodi materiam diſcernat, membranis iiſdem cum ventriculo coniunctam, qui ſingulis corporis partibus proſpicere debet. Quæ verò linguam attingunt, atque ſunt admodum corporis temperaturę cognata, dulcia, contraria, dicuntur amara: reliqua medium aliquem ordinem tenẽt. ſed è rebus etiam vapores quidam effluunt, qui non mediocriter ad ſalutem noſtram conducunt, & tenuiores ſunt, quàm vt lingua percipiantur, ideo ſunt intra nares iis diſcernendis inſtrumenta ſuſpenſa, quo & vtilitatem inde prouenientem ſequi damnumq; vitare poſſemus. At cùm nobis ſemper ſit aër circumfuſus, eius quoque motum euidentem percipere debebamus. Itaq; binæ ſunt nobis aures datæ, in quibus ſpiritus tenuiſſimus ſubtiliſsimis membranulis comprehẽſus ſimilitudinem motus aëris externi animæ præſenti denunciaret, tum vt ſi quid, præſertim in tenebris, nobis immineret, ſentiretur priuſquam adeſſet: tum etiam vt aliorũ cogitata prõptè perciperẽtur. Cùm enim aërẽ pectore continua neceſsitate trahamus, iſq; facilimè motus imaginẽ procul trãſmittat, accõmodiſsimus fuit, qui multiplici linguę verbere multiplicẽ animæ motũ ad alterũ trãsferret: & quo natura magis adhuc animãtibus proſpiceret, cũ multis reb. egerẽt, quę variis locis eſſẽt diſquirẽdę, cũq; vndiquaq; variis periculis exponerẽtur, inſtrumenta dedit, quib. procul res certius & celerius agnoſceremus. Ipſa nẽpe rerũ ſpecies prõptè per lucẽ, qua nulla res corporata citior eſt, in oculos noſtros illabitur, et

ibi sese tanquam in speculo conspiciendam offert. Hoc etiam sensu formas rerum, & lucem, hoc est, præcipuam diuinitatis imaginem sentimus, qua nihil hic pulchrius esse potest: vt non immeritò dicat apud Homerũ Achilles, se vnius diei luce malle frui, quàm in tenebris perpetuò plurimis hominibus imperare. Sed affectiones istę ad altiorẽ adhuc animæ sese vim extendunt. Est autem vna quædam vis quæ concipit omnes hos sensuum motus. Quod enim de omnibus iudicat, necessarium est vt omnia percipiat, & etiam vt sit vnum: nam si plura diuersa sint, singula tantum suas affectiones percipient & diiudicabũt: si verò generis eiusdem, cùm vna sufficiat, reliquæ temere fuerint factæ. vna vis igitur concipit omnes sensuum motus, sed iam minus corporatos, eaque sensus communis vocatur: & hic externorum præsentiam semper requirit, à qua afficiatur. Seruantur autem imagines rerum etiam absentium vi quadam superiore, quam imaginationem appellant. ea vis qua natura potius quàm ratione, quippiam ex aliquo elicitur, vt ex lupi forma periculum, æstimatrix nuncupatur: sed adhuc in nobis alia facultas superior est, quam phantasiam nuncupant, quæ reuoluit imagines à sensu communi, æstimatriceque vi acceptas, easque varijs etiam modis componit. Si verò quis malè speculetur singulas, ignorantiã Aristoteles appellat. Falsitas enim est cùm malè coniunguntur in vnum. memoria species cum præterito tempore conseruat. Cùm enim multæ circumstantiæ rebus ijsdem se coniungant, eadem species si bis se nobis obtulerit, & eã prioris & posterioris temporis notis distinxerimus, id ipsum memoriæ debebimus acceptum. imaginum iterata diligensque conspectio meditatio dicitur. Recordatio verò quę recognoscit ea quæ memoria cõprehendit, & reminiscentia, quæ ex aliquo vestigio loci, tẽporis alteriúsue circũstantiæ incolumi, nos insinuat in cognitionẽ eius, quod alioqui memoria excidisset. Si verò citra rationẽ euidẽtem & necessariam, assentiatur alicui mens, opinionem appellant, quam fides comitatur. Fidem autem definiunt philosophi constantem opinionis diiudicationem: sed cùm mens imagines seu notiones certo firmoque medio coniungit, ratiocinatur, & certissimò quidem, si mediũ ab ipsis intelligendi principijs depromat. Dum enim ex causis nos effecta cognouisse putamus, tum constanter de rerum veritate iudicamus: sed à sensibus primum initium cognoscendi sumimus. inuentionẽ autẽ vocant, dũ ex effectis causas indagamus. Inuentio verò rerum per sua vestigia disciplinam tandem parit. Intellectus omnium formarum forma est, quemadmodum Peripatetici dicere solent, tanquam alternus quidam oculus est, qua puram veritatem intuemur, qui tamen in nobis semper despicit in phantasiam. Ita tametsi corpore non vtatur, vtitur eo quod corporaturam

requirit: ſed phantaſia ſingularia, intellectus communia continet, & vnum quidem tantum actu propter phantaſiam, ſed plurima tamen ſua poteſtate. Quatenus plurimas formas ambitu ſuo, tanquam generationis ſuæ loco comprehenſas, ſingulatim concipere poteſt, intellectus poſsibilis appellatur. Agens eſt qui eas in apertam lucem exponit. Hic formas à phantaſia in cognitionem communem abſtrahit, adeoq; ſimilitudines earũ collocat in intellectu poſsibili, tanquã in tabula raſa, & eas illuſtrat, quę alioqui planè ſint obſcurę. Quatenus autẽ rerũ ſpecies concipiuntur, veritatẽ denũciant, & inſuper etiã aliud aliquid boni quatenus ſcilicet res vnde veniunt nobis conducunt: cùm itaq; bonum noſtrum à nobis frequenter magnis ſpacijs diſtet, motu ad illud conſequendum eſt opus. Quoties autem mouetur ad conſpectum bonum mens, ac opus aliquod eius gratia conficit, intellectus practicus appellatur: & has omnes animæ vires volũtas gubernat, quæ à libera quadã, humani corporis cõmercio deſtinata poteſtate eſsẽtiaq;, ſuã originẽ habet. hęc eſſentia ſpecies omnes puras ambitu ſuę naturę cõprehẽdit: ſed quoniã, tametſi ſimplex & incorporea, tota corporis vniuerſæ cõpoſitioni ſimilis eſt, vnę ſpecies eius cũ alio corporis inſtrumento maiorẽ cognationẽ habẽt: & illę quę corporaturę proximæ ſunt & neceſſariæ, quibus alimur, quibus incremẽta ſumimus, hãc actu cõtinuo attingunt. Aliæ verò quia magis diſtant nouis motibus trahi volunt in corporaturam. Oportet autem vt ex animo corporeque conſtent omnes noſtræ actiones. Ergo motus per diuerſa corporis inſtrumenta ſunt diuerſi. Species externæ viſibiles oculis cognatæ ſimilitudinem animæ per eas partes in actum euocant, audibiles per aures & reliquæ per ſuas, non autem per alias, cum quibus nec externę nec animæ ſpecies ſimilitudinẽ habẽt. Idẽ de phantaſticis alijsq; internis iudicari debet. ſed mens omni corporaturæ ſuperior, quatenus ſui cõpos eſt, nec vergit in phantaſiam, inſtrumẽtum corporeum non requirit. Species enim eius, quanquam etiam excitentur à ſimilibus corporatis & his tanquam normæ quędam accommodentur, corporaturam ſuapte natura non habent. Quanquam autem purę nunquã à nobis cernantur, facilè tamen cognoſcimus in mixtis aliquid ſimplex & incorporeum, ſiquidẽ à ſola corporatura tale effectũ prouenire non poſſet: igitur hæ ſpecies omnes in anima ſunt, & ſuperioribus inferiores continentur: & in homine, quãuis anima tota ſit in quauis corporis parte, ſingulæ per accommodata corporis inſtrumẽta exeunt in hanc humanam cognoſcẽdi lucẽ. Anima verò puras eas omnes, ambitu ſuæ naturæ comprehendit, imò nihil aliud eſt, quàm illæ ipſæ ſuæ ſpecies in vnam puram & incorpoream eſſentiam coniunctæ: quas quidem per ſe nullum locum occupare ſatis eſt manifeſtum: vt ſi dum aliquid intelligimus, animum

animum illum ipsum intelligendi actum esse citra corporaturam intelligamus, et in eo, non autē in loco suā essentiā habere, et tamen eā similibus formis corporatis allici in energias coniunctas corporaturæ: vnde fit vt operationis præsentia ipsa sit in loco. verùm hæc aliā considerationem requirunt, sine qua quàm ignotæ sint res humanæ, satis illi sciunt, qui vel mediocriter in hisce studijs sint versati.

Sed quia corporeæ moli est præfecta regendæ,
Non decet vt nimium sursum diuulsa, catenas
Deterat has imas, quibus est annexa, sed omni
Temperiem vita seruet: marcescere corpus
Ne sinat, excelso dum semper in æthere viuit.
Vestræ & corporea hîc peragenda negocia menti.
Nam rutilo cadens vt carbo tenetur ab igni,
Sic motu æthereo cōprensum est vndique totum,
Expressumque animi viua sub imagine corpus, [a]
Isq; in materiam hanc proprio quoq; pondere vergit.
Hinc quòd corporea specie diuina videtis,
Et Deus humano sapientia patris amictu
Sensilis est factus, quem vos nisi corpore tectum
Non bene cernatis: quia mens & corpus in vnum
Conueniunt, mixto spectantur cuncta colore
Vobis, in medio qui corporis atq; Deorum
Estis, & extremas coniungitis ordine partes

a Non quòd ab anima corporatura fiat, quemadmodum nōnulli existimarunt, sed quòd anima materiam fœtus in suos ordines & vsus digerat, ac continuo motu comprehendat, ac ipsa præcipua substantia sit animantis.

Naturæ. haud cupiat mens vnquam à mole reuelli
Corporis: ipsa sui tam captat coniugis arctum
Conuictũ, à forma hac nunquã vt se flectat amata. [a]
Fortunaq; pari pariterq; vtuntur. vt vna
Si doleat coniunx, pariter languescit & alter.
Communis spes est & amor, metus, ira, voluptas.
Séque mouent semper pariter pariterq; quiescunt.
Quòd si corporeæ partes, compage soluta
Humana, in proprias commigrant ordine sedes,
Has animus tandem repetet, cùm cuncta priorem
Puncta suam accipiẽt formam. haud cõsumitur vlla
Pars diuina tui, sed mens distracta redibit
Ad proprium corpus nullo separabilis æuo.
Vndique cuique breuis sua membra recolliget hora.
Tunc iterum repetent consortia dulcia vitæ,
Cum labes fuerit cunctorum absumpta malorum.
Tellus præclaris erit vndique strata lapillis,
Semperq; astriferi purus prospectus Olympi.
Tum demum corpus fiet cum mente beatum. [b]
At nunc in miseram sunt ambo iuncta figuram:
Nam primùm proprio mens nostra infecta veneno
Ipsa suum corpus corrupit, & inde nepotum
Dira lues. nam si est animi cælestis origo,
Corporis attactu pariter sordescit, vt humor
Tetris infusus vasis, aut vasa liquore
Plena putri: scelerum sic est imbuta sapore

Natura, vt nequeat miseris producere morbis
Pharmaca, sed diuo sint persananda cruore
Vlcera, quæ pariter vestram cum corpore mentem
Absumunt. summum artificem medicamina summa
Et contraria vult contagio summa. dolore
Non redimenda fuit paruo preciosa voluptas.
Vita beata venit tandem post mille labores.

a Arctissimè animam cũ corpore, formam cum materia natura coniunxit.

b Hæ formæ semper amant materiam, sine qua nunquam esse velint, & ea tamen aliquæ carere possunt, animæ nimirum humanæ, quæ tamen & suam quoque materiam semper habent, cùm solus Deus planè simplex sit & purus: sed animæ humanæ, hãc quoq; corporaturam semper expetunt, cui nimirũ à Deo sunt destinatæ. Sunt & aliȩ formæ quas à materia diuulsas cõfestim necesse sit interire, vt herbarum, stirpium, & animantium brutorũ: aliæ sunt quæ misceri possunt, vt quatuor elementorum, quæ quidem accedentibus formis mixtorum cedunt, aut potius seruiunt ad operationes: & forma quoque mixtionis in humano corpore, seruit animæ humanæ, quæ prima forma seu energia dici potest, vt & temperatura secunda, hæc autem anima separata corrumpitur, sed elementa tamen interim manent, quæ necessaria sunt, ad absolutam contemperationem, quam iterum anima tandem assumet: nunc autem varia discrasia corpus laborat, cuius vis animam ab officio suo detorqueat: animæ quoque intemperies imprimis corporis temperiem dissoluit: nam cùm duo prorsus in vnum coniuncta sunt, necessarium est vt alterum ab altero commoueatur. Sed cùm libera sit animorum nostrorum natura, in qua culpa collocatur, sine hac proprium vitium consistere nequit, quãquam interim anima, nisi liberata sit, maneat alieno vitio corporis infecta. Liberatur autẽ à Deo, qui solus potestatem habet, qui nimirum vnus omnis gratiæ fons est & origo. Cùm autem remedia morbis cõtraria sint, peccatum per prauam voluptatem commissum, conueniebat, vt iusto dolore tolleretur. Hinc est quod pro nobis se morti tradiderit Christus. Sed oportet, vt remedium quoque nos attingat, hinc est quòd Deus in nobis fidem & pœnitentiam commissi sceleris requirat.

Hæc quoniam rabidis sunt cuncta obnoxia ventis,
Atque procellosis veluti iactantur in vndis,
Non poterit quisquam cælum spectare serenum,
Non vnquam poterit placidam sentire quietem,
Ni quærat tutum longinqua per æquora portum.
At corpus magnis à tempestatibus ictum,
Vsqueadeo turbat mentem, vt deuicta procellis
Clauum deserat, & cum ventis ipsa feratur
Præceps, insani per mille pericula ponti.
Si status hic esset sine crimine, nempe beatæ
Publica delitiæ priuatáque cuncta tenerent,
Et sine nubibus & ventis foret aura serena.
Florifero tellus esset perfusa tepore,
Musǽque & Charites in summa pace fouerent
Omnia. Sed postquam scelus irrupisset in vrbem,
Incœpit rabies, quæ diro cuncta malorum
Imperio vexat, pariter cum plebe potentes.
Tam priuata ruunt, quàm publica: cuncta premũtur
Seditione graui, prostratáque mœnia præbent
Hostibus externis facilem populantibus omnem
Vrbem. hei quam promptos per tractus itur inanes
Peccati in tenebras, rursusque emergere in auras
Haud facilè. est melius primis obsistere ventis,
Remisq́ue & velis terras captare beatas:
Nam quandoq; etiam spirat leuis aura secunda.
Si ista nouerca dies, fuerit fortè altera mater:

Et nos aßiduo Deus adiuuat ipse fauore.
Sed cùm tam varijs homines agitentur ab vndis,
Prosper perpetuò motus sua gaudia profert,
Diuersus luctum, vehementius incitat acer.
Cuncta boni reficit, contraria terret imago.
Hinc est quòd subitò nocui perterrita vultu
Mens se contrahit, vt circundata fœmina diris
Hostibus, & mæstum patitur constricta dolorem.
Et tunc compresso cerebro, tenuißima stillant,
In lachrymas: vt cùm sublatus in aëra liquor,
Frigore constrictus largos densatur in imbres.
Sed veniente boni sensu, subitò obuia blando
Dulcia concipit & profert mens gaudia motu.
Sic pia dum coniux venit exceptura maritum,
Quæ consumpta diu nimio est absentis amore,
Occurrens in eum latè pia brachia pandit:
Eius in amplexus teneros effusa quiescit,
Mollia percipiens toto consortia sensu.
Dum partes animus distendit fortè propinquas
Auctus, vel retrahit potius diffusa voluptas,
Lætitia nimia placidè scalpente medullas,
Insolito stolidus venit à phantasmate risus.
Sed mala constringunt gelido ventura timore,
Suspensoq́; grauant bona non præsentia luctu.
Ecce vides illam specie præstante puellam,
Ipsam Nausicaam superat, palmamq́; tenellam

Quam diuus quondam est adeò admiratus Vlysses.
Haud facile est ipsi naturæ effingere formas
Tales. hæc rabidos nunc en meditatur amores.
Vritur interius magnoq; exæstuat igni:
Qui sursum ex oculis nitidis ita spirat in auras,
Vt poßit magnis homines accendere flammis:
Non aliter postquam fuerit succensa taberna
Picea, per patulas ignis solet ire fenestras,
Qui sæpe in totas latè diffunditur vrbes.
At nunc en subitò pallet, decepta figura
Falsa, nempe calor sese in præcordia condit.
Pro flamma lacrymas oculis effundit, & omnis
Is roseus perijt color: vt cùm pulcher Apollo
Percußit rutilo feruentes lumine terras,
Et subitò valida sub tempestate, serena
Mutatur rerum facies, atque omnia nimbis
Torpent. ô duras sortes, quàm densa malorum est
Congeries, quæ vos duplici quoque tempore vexant.
At bona quàm numeres facilè, & ventura dolores,
Quàm longos sæuosq; ferunt, præsensq; voluptas
Tam subita est, sensus vixdũ vt gustata relinquat.
Velox vt Zephyris validè ratis acta secundis,
Ac vt pulsa leuis rapidis nubecula ventis
Præterit, at sensim ab cedunt contraria: moles
Sic vasta hinc illinc varijs iactata procellis,
Nunc impulsa illis alijsq; à fluctibus hæret.

Et sic

Et sic flammiferis turbantes omnia bombis
Nubes, obliquo dum sulcant aëra tractu,
Nunquã abeũt, trepido conquassant corda pauore,
Et cogunt totas sine somno ducere noctes.
In mala consurgens animus candescit in iram:
Occursu primo sese in præcordia condit.
Membra relicta tremunt, et vultũ pallor obumbrat:
Ac vbi tum sparsos subitò collegerit ignes,
Æstuat, ebullit bilis, propiora calescunt,
Iamque abit in rabiem, totos transfusa per artus,

In anima quidã etiã, secundũ philosophos, est cõtactus, & maiora se pluribus partibus contingũt: quoniam autẽ hic de anima appetitrice loquimur, quod eam attingit est bonum & malum, idque vel præsens præteritum aut futurum, & vel internum vel externum. Internũ bonum præsens, gaudium profert, & animum statim ad sese conuocat: externum producit lætitiam & frequenter etiam nimis exultantem, quæ in ambitum corporis animum rapit, quo plenius obuio bono potiatur. Malum internum si vehementissimum sit etiam animum confestim expellit, quemadmodum in perniciosissimis morbis cernere licet, & tamẽ interim resistit quantum potest, nec facilè deserit ea membra, quæ rerum gerendarum sunt instrumenta: & hinc vehementes commotiones, vnde febres & eius generis alia concitentur. Si externum aliquod malum sit, animus, quò minus illud attingat, cum spiritibus & vaporibus, circa centrum se contrahit, & ibi tanquam in propugnaculo se quantum potest defendit: sed contractis vasis, quibus succus continetur, necessarium est liquidiora è præcordijs sursum repere, vnde lacrymæ suum originem ducũt. Si verò nouum aliquid iucundum minimeque serium accidat, commotis spiritibus & musculis risus excitatur: nisi verò nouum sit tantopere non commouebit, nisi iucundum sit, ita non titillabit: si serium sit intus residebit, nec in risum erumpet. Bonum futurum spem prouocat, cuius etiam absentia discrutiat expectantem: ita diuersis motibus animus interim tanquam distrahitur, dum nunc bonum núc eius absentiam sibi proponit: ma-

lum futurum metum affert, in quo, tanquam iam immineat, animus ad interiora recurrit, aliqua tamen ſpe veluti ſuſpéſus: ita quoque diuellitur non ſine magno dolore. Ira eſt motus ex imagine iniuriæ cum ſpe vindictæ: ad vindictam oppoſito motu eſt opus, cuius inſtrumentum bilis eſt, quæ commota totum corpus accendit. ſed hîc non ſunt omnium affectuum rationes explicandæ.

His alijsq́ue animus ventis humanus inundat.
Fluctibus at medijs ratis vndique rapta furente
Turbine, ſi varijs vndis quatefacta fatiſcat,
Hanc tamen anchora curua ſuo tenet vna rudente,
Donec iam rabidus pelagi deferueat æſtus.
Sic homines medijs in tempeſtatibus eſſent
Tuti, ſi modò ſint virtutum robore fulti.
Nunc leuis vt puluis quóuis cũ flamine fertur,
Sic atomi mentis nulla pietate reuincti,
Conſtantéſue fide, facilè arripiuntur in auras.
Non tamen affectus omnes ſapientia damnat.
Fruſtra etenim quidam fingunt adamantina corda.
Hircinoq́ue adamas molleſcit ſanguine, ferrum
Quem ſuperare nequit. non omnis vbique poteſtas
Eſt eadem. quidam hac, alij vincuntur ab illa:
Nec licet immotã homini vndique reddere mentem.
Ob ſcelus affectus bonus eſt, ſeu pœnitet vnquam.
Præcipua hæc etenim ſceleris medicina peracti.
Nam cum letiferis morbis pia pharmaca pugnent,
Dira dolore fuit ſancto expurganda voluptas. [a]
Seu contrà inſurgens ingenti robore vires

Exacuas,

Exacuas, ſæua vt ſuperes portenta malorum.
Vos teneros genuit mater, taciteque videtur
Hortari, vt placido ſeruire velitis amori.
Sed tamen hæc opus eſt diſcernere ſingula magno
Iudicio: ne falſa boni defraudet imago.
Turpia ſæpe ſolent ſe pulchro oſtendere fuco.
Sæpe gerunt vultus quoque callida ſcorta pudicos.
Tu facienda ſcias. primùm tibi cura theatri
Tradita: tu totas recto ordine perſpice ſcenas.
Et ſic perſpectis ſint conſona facta, nec vllis
Delitijs pulchrum vinci patiare decorum.
Non Laërtiades ſumma dulcedine loti,
Non dulci eſt ſonitu Sirenum captus Vlyſſes:
Et moly vicit caſto medicamina Circes.
Diuina hunc ſummo retinebat amore Calypſo,
Hoc fretus dulcem potuiſſet ducere vitam:
At potiùs voluit perferre pericula ponti,
Quò patriam & dulcem poſſet cum coniuge natum
Cernere. nulla trahat vos à virtute voluptas,
Sed mens contendat generoſa in mille labores

a Voluntas per pœnitentiam à malo ſe conuertit ad bonum. in malo verò poſiti nō poſſunt eſſe felices: vnde cognoſcere licet quàm neceſſaria ſit pœnitētia. Cognoſcere licet etiam eam potius eſſe diuinū quàm humanum opus: quomodo enim voluntas, quæ ſe iam à Deo, cui vim omnem & poteſtatem debet, ſeparauit, tam vehementer debilitata & fracta, ſuis viribus tantam rem conficiat, quæ longè ſuperet omnes vires humanas.

Atq; pericula, qua species apparet honesti:
Sic potuit certam Pelides spernere mortem
Pro patria. Alciden quantos virtutis amore,
Dum peragrat mundum, legitis tolerasse dolores.
Est opus in varias animum mutare figuras.
(Nunc Leo nũc aquas it, nũc Piscis et ignis, & aër)
Et tamen Idotheam quæ sint facienda docere. [a]
Mollia sæpe sequi vitare & dura licebit,
Si modò diuino nunquam aduerseris honori.
Non frustra affectus dederat natura: sed illis
Exanimis segnes voluit propellere somnos.
Est opus aßiduum peragant vt singula cursum,
Vt motu simili corpusq; animusq; feratur,
Et simul in proprios contendant omnia fines.
Vulcanus tenui, sed forti cuncta catena
Iungit, nec facile est diuos dissoluere nexus,
Quos non ipse vnquã potuit disrumpere Mauors. [b]
Ergo vna alterius sequitur vicinia motum:
Mens animũ adiũctũ et pariter trahit æthera purũ, [c]
Spiritus æthereus facilem trahit aëra ductu
Consimili, tenuem subitò rapit iste vaporem:
Cognatosq; pari vapor allicit ordine succos.
Sic facies blando subito perfusa rubore est,
Postquam iam mentis vicinæ accenditur æstu.
Atq; metu contra hæc reuocatur ad intima vitæ,
Palentiq; manet facies obducta colore.

Cor-

Corpusq; externas quoque concipit vndique vires,
Quas menti referat. sic omnia fecit in vsus
Summos atq; dedit Deus instrumenta magistræ
Menti, quo vario perdisceret omnia sensu.
Quàm miro ingenio contexuit organa lucis.
Pars externa oculi circumnitet vndique cornu
Candenti, & nigram membranula conficit vuam
Intus. at in medio sunt cuncta simillima vitro.
Circum pupillam varium est perfusa colorem
Iris, multiplicis verissima nuncia mentis. d

a Idothea significat vim diuinorum cognitricem, Protheus mentem & rerum gerendarum rationem, quem Vlysses nisi ab illa edoctus, comprehendere non potuit.

b Proclus hanc vniuersitatem Vulcanijs armis fabricatam esse dicit: calor enim, præsertim cælestis, omnia contéperat atque commiscet in iustas analogias, quibus omnia tanquã firmissimo vinculo cõtinẽtur.

c Hic spiritus, qui respondet elemento stellarum, vt inquit Alex. Aphro. secundum Arist. omnia permeat, & animam mundi secum affert, estque naturæ præcipuum instrumentum, quo versatur mens in hac corporatura: huic adiunctus est aër tenuissimus, cui cohæret humor, qui terrenis partibus est adglutinatus: ita necessarium est vnius motum alia sequi.

d Quoniam oculus propago quędam cerebri est, huius tẽperaturam ex eo cognoscimus atque adeo mores animorum. Cornea tunica à dura meninge ducitur, & totum oculum inuoluit, cui obducitur adnata à pericraneo. interius vuea pro magnitudine pupillæ perforatur ac à pia meninge deriuatur. Quarta tunica nascitur ex neruo visorio, humoremq; cristallinum instar araneorum telæ circumuoluit, illiq; sentiendi inserit facultatem. Humori crystallino aqueus innatat, prohibetque concidere pupillam: corneam etiã & vueam tunicam medius humor vitreus in locis suis conseruat: lumen autem colore tinctum, per eam corneæ tunicę partem quam pupillam appellamus, & per humorem aqueum in crystallinũ penetrat, & afficit præsentem spiritum animalem, cuius affectionem anima quoque præsens sentit.

At loca perspicuis splendescunt intima lymphis.
In centro liquidum constrictum est vndique reti
Crystallum tenui: quod bini nempe cerebri
Molles subtexunt ductus: & acuta videndi
Virtus è medio hoc centro se effundit in auras:
Quæ tamen intereat ni externa luce iuuetur.
Hæc simili gaudet, facilesq; tenerrima formas
Concipit, & rerum vestro cum lumine transfert
Temperiem, penetratq; oculos tangitque figuris
Externis. vehemens qui concutit aëra motus,
Cum tenuis patulis tinnit membrana cauernis,
Interiùs docto sonitu diuerberat aures. [a]
Sed craßis constant hæc corpora cuncta trigonis:
Qui positu varias poßint componere formas:
Has autem denso liceat discernere tactu.
Est animo varius sensus datus, vnde propinquas
Cernit perspicuis dum cuncta externa fenestris,
Quasque boni nocuique potest discernere vires,
Seque ad multiplices casus componere. [b] *rerum*
Effigies, veri certißima nuncia, doctæ
Semper adesse solet, modò sit via peruia, menti,
Propositique boni monet instantisque pericli.
Estque inter reliquas species promptißima lucis,
Quod tanquam æternæ sit proxima mentis imago,
Quam tantum densa facie cernatis. opacis
Vestri obtusi oculi semper versantur in vmbris.

Nempe

Nempe die Phœbi est radijs plenißimus aër:
Sed tenui intuitum fugiunt in corpore crassum. c
Cùm læuem indurit vultum est lux candida, cuncta
Aspera nempe fugit: iuuenili est læta decore.
Non placet vt facies sit scabris horrida rugis.
At non perpetuò personam assumit eandem.
Sese aptat cunctis, quanquam non pura videri
Ipsa potest, si non sit vultum induta nitentem.
Non rarò est lacti similis, puróue liquori
Atque niui si sit perfusus lumine succus
Fit rubeus color: & si splendida iunxeris albis
Et rubris, flauum reddes: si splendida nigris
Ac albis, cæli faciem: quæ tincta rubori
Purpurei: violis similem facit. æquoris alti

a Ossi petroso dicto membranula quædam obducitur intus tenuissima, quæ comprehendit aërem, quem complantatum appellant. Cùm autem aures sint perforatæ longis cauernis, quæ sint etiam aêre plenæ, & cùm aêr omnia permeet, nec aliquid vacuum relinquat, necessarium est vno pulso reliquum commoueri: ita videmus in ædibus vnis fenestris & ianuis in vnam partem tractis aut impulsis, alias quoque trahi vel impelli, quòd aêr continuò sequatur. Cum aêre ergo externo commouetur is qui in cauernis aurium est, & cum hoc is qui in tympano, cuius motum anima præsens discernit.

b Sensus homini dati sunt vt cognoscat externam corporaturam & ea cognita sciat bonum & malum quod sequatur & vitet: sed è corporibus deuenimus etiam in cognitionem incorporeorum. non autem ipsa corporatura, sed eius species & similitudo se insinuat in sensum: verùm medium impeditum frequenter accessum non præbet.

c Quæ vehementer tenuia sunt effugiunt omnem sensum: ita lux nisi densior facta non videtur, ac eam in denso corpore reflexam, potius quàm in aêre puro sentimus.

Depin-

Depinges vultum, si cærula iunxeris albis.
Candor cum flauo pallenti corpora vultu
Atq; adeò ingrata corrumpit imagine mortis.
Candida si multis fuerint obducta tenebris,
Æthiopum fusco depingent quæque colore.
Ex fusco & flauo fuluum est. si tinxeris atro
Fuluum conficies viridem: sed cuncta referre
Non licet. omnia sunt distincta examine iusto:
Tantum at scit numeros qui perspicit omnia certos.
At calor in sicca facie lenique coruscus
Cernitur. humectum splendescit frigore: contrà
Si crasso & multo immergatur flamma liquori,
Effigiem nigram restincto lumine monstrat.
Atq; rigor scabras gignit sine luce cauernas
Aridus, & vacuis obducit cuncta tenebris,
Lucis corrumpens blandam asperitate figuram. a
Iam, læti semper quærunt sibi lucis apertam
Effigiem. cuncta hæc demonstrat imagine veri:
Atq; ideo diuum hac quoque delectatur honestum.
Nam bona perspicuis versantur semper in auris,
Participesque volunt vicinos reddere. nigra
Hos potius deceant, quibus est mens obsita luctu,
Atq; malos, qui se cupiant celare latebris.
Pulchræ se turpi facie coniungere nolunt
Luci. cuncta sibi similis commercia captant. b
Ast hilaris viror est, alma spe frugis amœnæ,

Temperieq́; sua [c]*. hic profert telluris honorem,*
Hic recreat Dryadas, Faunos ac Pana, deosq́ue
Syluicolas, terræq́ue deos, & numina cuncta,
Ludere queis volupe est nemorosi in gramine cãpi.
At color est puri cunctis quoque gratus Olympi:
Nempe is diuino moderamine cuncta serenat. [d]

a Caliditas, quæ nimirum cum luce conuenit, etiam splẽdet & siccam habet naturam, extinguitur autem humiditate, atque adeò nigredinem acquirit. Humiditas propter perspicuitatem & æquabilitatem facilè lucem concipit, eam dum frigus in vnum æquabiliter constringit magis candidam reddit. Siccitas densa, propter meatuum paucitatem & inæquabilitatem, minus est peruia luci. In vniuersum autem quæ plures & magis æquabiles poros habent, facilius lucem concipiũt, sed quæ densiora sunt eam magis conseruant & augent.

b Felicitas & veritas splendorem amãt: nam hæc omnia ab eodẽ fonte manant: contraria sunt omnia quatenus ab eo deficiunt: deficiunt autem maximè, malum, falsum, tenebræ. Similia verò cum similibus facilè coniungũtur: verùm cùm alia rebus innata sint, alia postea comparata, & alia penitus infixa sint, alia leniter tanquam superfusa, defectus firmus similitudine gaudet, quod si nõ penitus infixus sit, sed intus sit alia natura potentior & melior, illa sibi similia & defectui contraria poscit: ita videmus natura melancholicos solitudine delectari, non autem eos, qui cum natura sint hilares, ab externis occasionibus aliquid atri succi collegerunt.

c Viridia referunt nobis vernum tempus, quod est omnium amœnissimum, & alioqui prouentu fructuum placet. Deinde viridia minus quàm nigra constringunt visum, nec etiam nimium distrahunt, sed cum moderatè dilatari sinunt, quod non fit citra voluptatem.

d Aër & aqua, quanquam vt & reliqua cũcta, sine luce nigra sint, superueniente splẽdore, propter minimos & plurimos tanquam poros, tantum fermè concipiũt lucis, quantum habent tenebrarũ, vnde medius hic prouenit color. Poros autem hìc non intelligo vacuos, nam eos Arist. abundè refutauit: sed elementa densa formam suam habent magis concretam, tenuiora verò magis distractam, in quam meatuum quædam inseritur similitudo.

Atq; etiam magni delectat numina ponti,
Pulchram Amphitryten, Neptunumq; altipotentẽ.
Ac est purpureus placidus color aptus amori
Præcipuè, hoc Veneris natus vestitur, & omnes
Ipsius famuli, roseos quos prima iuuenta
Viderat, hi succo tandem inficiuntur ab atro,
Quem sunt continui soliti proferre dolores.
Aspectu rutilo potius cælestia gaudent:
Hoc etiam doctum cupit ipsa videre maritum
Alma Venus: nitet hoc facies pergrata metalli:
Hoc quoque tam multi flores imitantur honorem
Stellatum. [a] *placet & roseo suffusa puella*
Vultu: nam color hic totã imbuit vndiq; vitã. [b]
Sed quid tam varias tentem describere vires.
Præcipuas satis est, reliquas didicisse labore
Hinc poteris facili. cumq; hæc dixisset, ad aures
Nostras diuinus multo discrimine venit
Cantus, quem verbis nemo descripserit vllis.
Visæ sunt aliæ placidè præcedere voces,
Atq; aliæ grato occursu contendere contrà,
Ac in multiplices se pulchrè inflectere gyros.
Nobilium memini duplices sic sæpe cateruas
Concurrisse equitum, dum ludicra bella mouebant:
Nam modò præcedunt, nunc in diuersa sequuntur.
Vndiq; sed pulchrum curant seruare decorum.
Carminibus celebres aptabat Musa choreas,

In qui-

In quibus & terræ pontiq́ & numina cæli
Saltabant: Charites moderamine cuncta regebant,
Aglæa, Euphroſyne, nec non formoſa Thalia
Dumq́ ego tam varij ludi ſpectacula miror,
Ille iterum docto ſic eſt ſermone locutus.
Hoc ſonitu totum mundum inclyta numina ducunt,
Quem ſimul & ratio parit & dimenſio, longa,
Nec non ampla grauem diffundit fiſtula cantum.
Arctior & breuior phthongos emittit acutos.
Intenſæq́ cita attollunt quoque crumata chordæ.
Sic etiam celeri vel tardo ſidera motu,
Sublimi aut humili, vel in hanc labentia partem,
Aut illam, flectunt diuino carmine totam
Naturam. ratio contemperat omnia nexu
Arcto: quo mundi corpus cum mente tenetur:
Sed non cuncta pares nec vbique merentur honores.
Primos dupla tenent, his proxima ſeſcupla: gratus

a Quanquam ignea flaua ſint, non eſt neceſſe, vt calida ſint ea, quæ ſunt flaua: ſat eſt enim quod æquabilitate ſua lucem multam refundãt.

b Calor naturalis quo viuimus, per vniuerſum corpus diffuſus, ſanguine recreatur: quamuis autem in multis animantibus ſanguis exiguus cernatur, tamẽ & in his & in rebus inanimis, quippiam eſt, quod cum illo ſimilitudinem habet: qui moderatè rubicundi ſunt, moderatum ſanguinem habent, & is ad efformandũ & reficiendum corpus, adeoq́ue ad actiones obeũdas eſt accommodatus. Hinc eſt quod eiuſmodi color placere ſolet: ſed conſiderandum qualis ſit quiſque vel innato vel acquiſito temperamẽto: nam naturalis conſtitutio ſimilibus, ægra contrarijs delectatur, & ea quæ ſuperueniunt, tempore in naturam tranſire ſolent.

Est & epitritus, est placidus quoq; ditonus. omnes
Tam dulci reliqui non pulsant aëra sensu.
At decet vt pulchros rythmos quoq; crumata seruẽt.
Dorius est princeps modus. at Phrygius Lydiusue
Sæpe placet. nunc hoc alibi ducuntur ab illo.
Acres vos stimulant. stupidi sunt causa quietis
Ignauæ: numeriq; breues mœroribus implent
Præfractis; vasti conturbant cuncta furore. [a]
Corpora crassa solent maiore attingere sensum
Affectu: quæ si forma impellantur acuta,
Omnia proscindunt. tali constare figura
Ignis dicitur. at si sint obtusa, premendo
Quæq; tenere locum constringũt membra minorem.
Ignis diuidit: at rigor in diuersa reuellit,
Et sic continuas separant quoq; frigida partes.
Sunt multa exterius quæ propugnacula pulsent
Corporis, vt primis nequeat violentia muris
Arceri: mediam sed sese effundat in vrbem.
Nunc enses & saxa ruunt, nunc vortice torrens
Præcipiti latè prosternit mœnia: rursus
Sæpe quoq; insignis marcescit frigore virtus.
Interdum flammis cuncta accenduntur, & arces
Ipsæ sternuntur: sunt cuncta obnoxia leto.
Nec tantũ exteriùs, sed & intus multa malorũ est
Materies, multæ pestes, vicinia concors
Nulla est. aßiduò pereunt hæc cuncta tumultu. [b]

a Forma diuersa motus aëris, aures afficiens, diuersum sonum facit, ad similitudinem instrumenti in quo fit motus. Sed in sermone forma quædam etiam est ab instrumentis loquendi impressa, quæ non tantum signum mentis est, sed etiam vim quandam naturalem habere putatur, quoniam in natura nihil est ociosum. Certè proportiones omnes magnas causas & vires habēt, quamuis à nobis non percipiantur, maximè verò quæ contemperatione corporum cælestium proueniunt, & proximè naturam attingunt humanam: illæ & cum rationibus musicis similitudinem habent, quæ sunt exactiores & magis nobiscum coniunctæ. Analogię verò in vocibus vel iunctim vel ordine quodam considerantur. Iunctim, vt cùm duæ voces simul hemioliam aut epitritā rationem seruant, in quo positæ sunt omnes symphoniæ. separatim considerantur analogiæ, dum ordine voces remittuntur & intenduntur, quod rythmum appellarunt. Quoniam autem in genere diatonico tertia quartáue vox est lemma, hoc magnum discrimē canendi facit. quemadmodum autem Oratores, sic & Musici in principio & fine maximā energiā esse dicūt, & hæc duo canēdo satius est vt teneant eundem systematis locū. Hic autem locus, diuersam ad lemmatis locum comparationem habet: potest enim esse primus, secūdus, tertius, aut etiā quartus, vnde modi canēdi suum quoq; discrimē obtinuerunt: tantum autem hoc discrimen est, vt diuersissima contrariaq; proferat effecta. quæ in frequentia lemmata desinunt, flebilia sunt & mœsta, propter multiplicem diuisionem, quæ cuncta languida reddit, frequentes toni integri, magnitudine & vehementia sua possunt ad iram prouocare: mediocritas autem, in qua magna paruis, vehementia lenibus miscentur, vbique suam laudem habet, cum qua dorius tonus cōsentit. Certè omnia sui similitudinem proferunt, propter summæ monadis rebus omnibus impressum characterē: ita aspera corpus & animum exasperant, lenia mulcent, tarda reddunt omnia torpida, celeritas promptitudinem affert, quæ magna sunt, faciunt cuncta maiora, idque in reliquis omnibus animaduertere licet.

b Quorūdam philosophorum & medicorum sententia est, dolorem è sola continui dissolutione prouenire: nam caliditas acumine diuidit, frigiditas constringit, & constricta minorem locum habēt, vnde fiat, vt cùm totius maneat eadem circumscriptio, partes à sese recedant, & externum aliquid in spacijs medijs admittant. Humiditas etiam dolorem afferre non solet, nisi tendendo continuum diuellat: dura etiā vel contundendo vel exasperando, vel aliter continuum dissoluunt. verùm sensus non tantùm in partium continuatione, sed etiam in continuatarum partium symmetria est, & hæc tamen continuatio quędam dici potest. Iusta enim analogia vnum, vt & contraria plura facit, &

continuationem tanquam dissoluit. A continui verò dissolutione per tactiles qualitates proueniunt dolores, morbi & mortes: affectiones enim per corpus ad medium animę contactum transeunt, & eum tandem à corpore diuellunt. Plures autem à cibo potúque pereunt, quàm rerum externarum occursu: quamuis enim frequens externũ malum, multò tamen frequentius est, quod à cibo potuq; prouenit & reliquis nostris factis.

Nec quoq; tãtum inimica nocẽt: sed fœda voluptas,
Concubitus, plures stillat per viscera morbos:
At lingua innumeros morti dedit vndique causas
Quæritis interitus vestri. at satis est breuis ætas
Humana: exiguas ne præcipitetur in horas.
Non tanti breuis est sapor, vt præferre saluti
Hunc deceat. primum comitatur nausea, dulcem
Quæ fructum in multum tempus subuertat edendi:
Atq; dolor multo laniat quoque viscera morsu.
Præstat vos mensas nimias contemnere, sola
Nam moderata iuuant. quod si cognoscere linguæ
Affectus cupias, hanc iusta dulcia mulcent
Temperie, & pungit duplici penetrabilis ignis
Mensura, bisq; octuplici violenter adurit. a
Tellus pauca placet: constricto at multa sapore
Displicet: vt proprio quæuis moderamine gaudent.

a Cùm analogia dupla sit admodum manifesta, temperamentorum gradus hac potissimum distinxerunt, ita vt in primo sit vnum elementum ad contrariũ duplum, in secundo quadruplum: sed hæc facilè cognoscemus, si calidissima, frigidissima, humidissima & siccissima certis numeris misceamus.

Cuncta

Cuncta ſapore carent ſyncera elementa, nec apta
Compoſitæ poſſunt vnquam dare pabula vitæ.
Aëreus pinguis ſapor eſt. hunc ignis amaro
Inficit, atq; auctus, linguam arrodente calore.
Flamma autem gelidũ reſtincta relinquit acorem.
At ſunt ſalſa ferè cunctorum grata palato:
In quibus & terra & pariter coit humor & ignis.
Omnia nempe opifex proprio ſic pondere miſcet
Prudens: vt duplici pendunt qui pharmaca lance,
Et doctè in iuſtam conformant plurima maſſam.
Is cuncta in noſtros tantum commiſcuit vſus.
Omnia conducunt homini, moderamine iuſto,
Ac ſint quæque ſuis ſi temporibusq; locisque
Exhibita: & ne cum damno guſtentur, odores
Fundit quodq; ſuos, quibus & diſcernere vires
Poſsis: quæ gratos fuerint imitata ſapores,
Reſtaurant ſubitò languentia membra liquore:
At fluidum ſicco recreatur odore cerebrum:
Nempe è longinquis ſumpto thymiamate terris,
Nec non mellifluo contextis flore corillis.
Hos aliosq; vſus odor exhibet. Omnia vobis
Inſeruire Deus voluit, quæ continet orbis
Circuitu, vos quæque ſuo cognoſcere ſenſu.

Sentiendi differentiæ quatuor ſunt, conſentaneæ quatuor elementis. Odores enim tãquam vapores quidam & fumi, mediam naturam inter aquam & aërem tenent. Videndi verò ſenſus igni, audiendi aëri,

gustus & tactus humori terræq; conferri potest. Ita cùm ex quatuor his elementis cuncta componantur, mirificè sensibus nostris respondent, & pulcherrima quadam analogia omnia conueniunt in vnam sympathiam partium vniuersitatis. Sed inter sensus ea quoque seruata analogia est, vt superiores sensus ad superiorē hominis partē maximè conducant, reliqui potius ad inferiorē. dignitate verò longè præstat inter cæteros visus & auditus: & ideò longius etiam extendunt suam energiam. Non autem tantum internam affectionem, sed etiam externam dimensionem percipere videntur: nam dum aliquid cernimus vel audimus, quàm procul id à nobis distet fermè scimus: sed potius tamen ratione quàm sensu. dum aliquid è longinquo videmus, & oculos ad res intermedias deflectimus, quas suis locis & spacijs distinctas esse non ignoramus, inde statim iudicamus de rerum interuallis. Cùm enim spacia rerū sępe dimēsi sumus, ignorare nō possumus, quomodo procul, aut propè videri quid soleat, & ex more videndi facilè percipimus medij spacij dimensionem, & etiam ex spacio magnitudinem rerum. experti nempe sumus, quāto longius quęque distant, tanto minora videri, cuius veritatem cùm ratio disquireret, inuenit maioribus angulis omnia videri maiora. Ex huiusmodi verò principijs nata est ars, quam opticam vocarunt: sic igitur cernimus externa spacia rerum, nec audiendi dissimilis ratio est. Scimus enim vnde sonus accedat, & quomodo hoc interuallo vel illo nostras aures afficere soleat. & ita de interuallis iudicamus ex affectione. an autē visus per oculos effundatur in rem conspectam, an potius intus speciē concipiat, quemadmodū reliqui sensus, inter philosophos non conuenit. Plato enim eum igneum esse & in rem vsque conspectam lucere dicit: Arist. potius aqueum esse asserit, nec eum per pupillam transmitti, imò recipi intus formam conspectam. Sed videmus fœminas virosque virulento sanguine redundantes, illas rubicundis maculis, istos albis tersa specula, qua vident, inficere, quod non fieret, nisi radij ex oculo in rē vsq; conspectam egrederentur: nam quod dicunt à subtiliore sanguine aërem infici, leue est. Cur enim recta in speculū impingeretur, & cur potius ex oculis, quàm ex alijs partibus hoc pacto emanaret, nisi cum radijs videndi deduceretur. similiter fascinationes, quid aliud ostendunt, quàm ex intimis, per oculos, spiritum, venenato vel temperamento vel phantasmate, vel vtroque infectum, per tenella puerorum viscera penetrare. quid quod visus cum luce magna cognatione tenetur, quæ quidem semper promptè sese diffundit: vnde cognoscere liceat etiam non aqueum, sed igneum hunc esse sensum. nam quanquam oculus ex aqua magis constat, facultas potius quàm instrumentum perpendi debet. Facultas autem in spiritu est, qui & igneus est, & ex oculis facilè

effluere poteſt. Multorum etiam animalium oculos in tenebris fulgere videmus. itaque omnes optici radios per oculos exire, eosque interdum etiam inflecti dicunt, & videri per aquam in fundis vaſorum, quæ alioqui videri non poſſent: non tamen iccirco radius ille videndi in ipſo contactu rei cōſpectæ ſentit, ſed ſpeciem ipſam potius in oculos vſq; trāſmittit. Coniūctus enim cū externa luce in facie rei conſpectæ, ab eaq; cōfirmatus, inde confeſtim immutatur, eaq; mutatio per eundem radium ad oculum vſque tranſit, & in cryſtalloide, tanquam in ſpeculo, multo ſpiritu comprehēſo, ſenſum vidēdi facit. Sic radius Solis in coloratum vitrum incidens immutatur tincturamque vitri ſecū quoque transfert. Lux autem per ſe quidem candidiſsima eſt, flaueſcit tamen et fulueſcit imbuta vapore. Itaque Sol, Luna, cæteraque ſidera ſereno tempore & meridiana ſunt candidiora, & ophthalmia laborantes omnia magis rubicunda cernunt: quæ igitur plurimum lucis continent, candida ſunt, quæ verò minimum, ſunt nigra. eſt enim nigredo tanquam carentia quædam candoris, & ideo nox omnia nigra facit: & tamē hęc aliquid lucis cōtinet, ſine qua nihil omnino videri poteſt. lux autem corporea, quanquam vixdum corporea dici poteſt, eſt alterius incorporeæ corporata quædam imago. & ob id hæc cum noſtra mente miram quādam analogiam ſeruat: idq; eſt quod à viſu mentem mirificè affici dicūt. Lux autem illa incorporea, proculdubio primæ monadis eſt ſimilitudo, à qua profluit hæc veluti à cētro ſolis. Corporea quanquam multifariam ſunt diuiſa, quæ tamen in diuiſis æquabilitatem continent, maximè monadem referunt, æquabilitas autem lenitatem, vt etiam inæqualitas partium aſperitatem. Hæc autem in minimis partibus ſunt intelligenda, in quas quidem lumen facilè ſeſe inſinuare poteſt. Iam quatenus minus lucis continent res, eatenus minus candida medijque cuiuſdam coloris fiunt. Viſus, eſt facultas recipiendi coloris, per medium energia perſpicuum, & color per faciem corporis perſpicui cuiuſque effloreſcens vis, quæ cum luce tam interna, quàm externa in oculos illapſa, afficiat videndi facultatem: perſpicuum autem, quoniam oculis ſimile, tanquam priuatio quædam eſt omnium colorum, ijs omnibus, cùm nullum actu contineat, accommodatum tranſitum præbens. Lumen externum eſt enērgia perfectioque perſpicui corporis, quatenus perſpicuitatē habet, & tanquam quidam eius color: internum autē eſt quodammodo perfectio cryſtalloidis humoris. Et quoniam color eſſe non poteſt ſine perſpicuo, per quod tranſeat, cùm perſpicuum caret luce, vt in tenebris, tum poteſtate quoque dicentur in rebus eſſe colores: & potentia quoque perſpicuū erit, id quod eſt tenebricoſum. In auris intimo, membranula quædam eſt ſpiritu plena, quam tympanū vocant, quæ cùm ad aëris com-

pulsi speciẽ facilè moueatur, eam per neruum animæ præsenti denunciat, audiendique sensum profert: itaque tum ob instrumentum, tum etiam ob idipsum quod sentitur, sensum istum aëreum esse constat. cùm autem citior sit lux & tenuior quàm aër: nam celerius species sensilis ad oculos peruenit quàm ad aures, ideo secundam dignitatem demum hic sensus tenere videtur: quanquam ratione disciplinæ longè principatũ inter cæteros habet. Sensile quidem istud appellant sonum: sonus igitur est aêris motus, ex collisione corporum, in aures vsque perueniens, quò nisi perueniat, motus tantũ erit non sonus. Colliduntur autem corpora non facillimè cedentia, & violenter concussa: ignis enim per aêrem penetrãs nullum sonum edit, vt in fulmine, nec etiam lenis aura, sed violentus aliquis ventus, maximè siccus: is enim minus est mollis, concussusque magis colliditur. Fit autem sonus, tanquam in formam quandam rotundam. Sic cùm lapillũ in medium stagnum iacimus, multiplici incremento circulorum, tandem ad ripas peruenit aquæ motus. Alioqui si rectà fieret motus, rarò vel potius nunquam nos inuicem exaudiremus, nisi cùm aures rectà sonãti opponeremus, nec etiam vnquam duabus auribus simul audire possemus. Sonus autẽ vel acutus est, vel est grauis, vel medius aliquis: acutus est penetrabilis, penetrabilis est propter violẽtiam & celeritatem, & propter corporis quod mouetur subtilitatem. Itaque videmus fistulas & chordas breues & strictas acutius sonare, ac fides etiam vehementius tensas, & fistulas etiam quæ violentius inflantur. quanquam illud inter hæc discrimẽ est, quòd chorda continuò tensa vel remissa immutatur, sonúq; mutat: fistula, cùm suam seruet analogiam, exceptis paruis quibusdam differentijs, è dupla ratione, quæ fermè eadem est cum simplici, nunquam recedit. Chorda etiam eadem violentius aut remissius impulsa, eundem fermè sonum edit, quia vixdum celerius, sed latioribus tantum spacijs mouetur: sed & eędem campanæ, seu fortius siue imbecillius percutiantur, eundem fermè sonum reddunt: seruatur enim eadem magnitudo, quæ quidem suam celeritatem habet, nisi quatenus propter violẽtiam magis incitatur. Echo verò fit propter sonãtis aëris repercussum. quanquam autem semper repercutiatur, non tamen auditur, nisi ex concauis, vbi aêr, quia cedere non potest, magis colliditur, & retorquetur. Vox autem est sonus animantis, ad aliquid significandum formatus: qui proficiscitur ex spirandi officina, percussione vel arteriæ cauæ, vel aêris externi: quemadmodum enim in lingua est vtilitas gustandi, & orationem formandi, sic in arteria & pulmone, trahendi vitalem aêrem & etiam sonandi. itaque animantia demum sanguine prædita, quæ refrigerationis & expurgationis causa vehementem respirationem habent, vocem edunt. Reliqua potius attritu partium

tium sonant. Intra nares, ad os quod colatorium vocant, binæ carunculæ spongiosæ sunt suspēsæ, in quas vapor, vel medium potius quiddam inter vaporem & exhalationem, sese insinuat, easq; pariter cum spiritu mutat, & sic olfaciendi sensum facit. Si quod odoratur vapor esset, ad aquam gustumque potiùs hic sensus pertineret, sin exhalatio ad aërem auditumque referri posset: sed iam medius est olfactus, magis tamen gustui cognatus, quoniam easdem fermè differentias, & eodem modo percipit: & insuper omnia quæ carent sapore carent etiam odore. Sed quoniā omnia sursum ferūtur, quæ odorē præbēt, sursum autem feruntur, primum ignea, deinde aërea, & quia animantia sanguine plena propter obstructionem meatuū citra respirationem non olfaciunt, ideo quidam igneum, quidam aëreum hunc sensum esse dixerunt: sed homines quia plus sanguinis continent, olfactum inferiorem, tactum autem habent reliquis animantibus superiorem. Quæ verò animantia non spirant, odorantur, citra respirationem: quoniam meatus illorum adeò non obstruūtur. Quanquam autem ignis potissima causa sit odoris: cuius indicium est, quòd omnia calefacta magis olent, tamen vniuersum temperamentum vnà fermè trahi vel inde cognoscere licet, quòd sapores olfactu deprehendamus. Species enim ipsa tota sine materia, ad sensum peruenire potest, quanquam hic sensus tam crassus est vt aliquam materiam fermè requirat. Cùm igitur halitus igneus odorem pariat, calidi fermè sunt omnes odores. Si verò quæ refrigerent, vt rosa, caphura, acetum, id fieri videtur, quòd totius temperamenti speciem secum trahant, vel quòd tenuitate sua aperiant meatus, corpusque perspirabile reddant, vel quòd comparatione spiritus nostri incensi, minus calida sint, vel quòd ipsemet aër inspiratus refrigerat: nam si quis naribus liquidum aliquod frigidum admoueat, sola respiratione necesse est vaporem gelidum refrigerare. Odores autem quidam omnibus animalibus sunt communes, vt qui ab esculentis percipiuntur, & hi voluptate nos afficiunt propter virtutem altricem: quidam hominibus proprij sunt, vt ij quos aromata reddunt: qui leui calore siccitateque cerebrum humanum, nimirum frigidum & humidum, delectant & spiritum augent quem animalem appellant. Lingua percipit omnes differentias saporum, & hæc eius affectio dicitur gustus: qui quoniam humido fit, aqueus habetur: & quoniā tactui proximus est, ideo sentiendi medium sibi prorsus adiunctum semper habet. Saporem autem definiunt, formam humidi gustū afficientem, vel affectionem quandam humidi, à sicco, quantum ad gustum attinet: nam humidum ipsum quanquam gustu percipi putetur, per se tamen saporem nullum habet, quod ex aqua pura cognoscere licet: nec etiam eum cætera elementa habent, quoniam ad altricem facultatem

gustus pertinet, & corpus nostrum compositum alimenta composita requirit, & ob eam causam, tantam habet lingua cum stomacho societatem: vt enim sit vtriusque mutua quędam actionum & affectionum sympathia, conteguntur eadem membrana, quo quid acceptum stomacho sit primo statim gustu diiudicetur. In saporibus consideranda temperies est, tenuitas & crassitudo. Calidum enim & humidũ temperatum, cum crassiuscula substantia, dulcem saporem facit: talis est enim fermè sanguinis natura. Itaque cuncta, præsertim animantia, rebus dulcibus potissimum aluntur: cętera verò si comedantur, vel pondere subsident, vel tenui calore per mẽbra delata transpirant, & vtraque tanquam inutilia excernuntur. His accedunt proximè quæ pinguia dicũtur, atq; ex aëre paulò crassiore constare videntur: nam semper aquæ supernatant, & citra magnum calorem insigniter humectãt. Cùm igitur in alimentis multæ partes aëris crassi cum igneis bene fuerint contemperatæ, frigidis meatuum angustijs hærent & homines obesos reddunt, nec propter lentorem, vt aquea, facilè diffluunt, nec, propter ignem vehementer admixtum, aqueis facilè miscentur. Flammam enim facilimè concipiunt, & in animantibus, quæ colorem euidentem continent, maximè reperiuntur. quemadmodum autem substantia pinguis saporis, media quodãmodo inter aërem & aquam est, ita salsi inter aquã & terram. quòd enim hæc multũ contineat aquę vel ex eo cognoscere licet, quòd cum ea facilimè permisceatur, & in eandem fermè formam conuertatur: quòd autem in eo multum terræ sit, grauitas facile demonstrat: nam in salsis aquis multa natare cernimus, quæ protinus in dulcibus submerguntur. insuper si cereo vase percolentur, crassis partibus exclusis, reliqua dulcia fiunt: sed & ignẽ non exiguum habent, siquidem in ijs euidentem calorem sentimus, dulciaque longa concoctione salsa, caloréque salem etiam fieri videmus. Sunt autem abstergẽtia, quoniam calore sordes dissipant, humore abluũt, põdere auellũt. Iam calor externus in calidũ & humidũ superueniens, magis quàm par est accẽdit, & si prauè permisceatur, fœda putredine corrũpit. Innatus nobis calor humori vehementer contemperatus, si vigeat, sensim in pus humorẽ concoquit, si verò debilior sit, insaniem: nam propter motus inæqualitatẽ, quam vterq; calor affert, partiũ prouenit dissimilitudo. Calor si tenuior sit ipse liberius transpirat: hinc est quòd ea soluto calore non tam facilè putrescant. sic etiam quæ crassa sunt, nec tamen habent calorem vehementer infixum: eo namque soluto scirrosa potius fiũt. mel autem non putrescit, quoniam calorem externum, propter calorem internum partiumque densitatem non admittit, nec sicca etiam & amara, quoniam humida debent esse, quæ facilè mutantur. iam quæ tenuium partium sunt, non putrescunt,

ſcunt, ſed ipſa potius aceſcunt. Statim enim conſumpto interno calore frigida fiunt. retinent tamen veſtigia ſui vel etiam externi caloris, & ideo tenuia quidem manent & primo diuellunt & arefaciunt, ſed refrigerant tamen, minimum verò nutriũt, quia nec calorem natiuum, nec humorem continent, qui apponi partibus poſsit, & ideo quoque ſenectutem maturare dicuntur: magis nutriũt acerba quanquam magis frigida ſint, atque ſicca. Craſſas enim partes habent. quæ adhærere facilè poſſunt: hæc igitur obſtruunt, & aſtringunt, ſunt autem quædam inſipida prorſus, quæ guſtui, cùm eum non afficiant, ſimillima quodam modo videri poſſunt, ſed tamen fermè frigida ſunt, & humida, vt aqua. Itaque leniunt hæc, abluunt & mitigant inflammationes: quæ verò minus frigida ſiccaque ſunt quàm acerba, mediamque ſubſtantiam habent, vt roſæ, ſtiptica vocantur. Leniter enim aſtringunt, exſiccant, & refrigerant. quæ vehementer ignea ſunt, acria vocantur & acuta, quę verò minus, amara, hæc etiam multam terram admixtam habent, cũque facillimè ex dulcibus poſtquam nimirum aêrea ſunt & aquea diſſoluta reliquiæque paululum incaluerint, amara fiant, ac ſimiles ferme craſsitie partes habeant, tamen illa iucundiſsima linguæ ſunt, iſta verò planè contraria ſentiuntur. ideoque dulcedo & amaror ſapores extremi dicuntur. Amara nimirũ obſunt ſua ſiccitate facultati nutrici cuius cauſa facta eſt guſtandi voluptas, ideoq; lumbricos aliaq; huiuſmodi animalia ijs interfici videmus. Cætera quæ nō minus ſicca, magis tamen placent, vt acria, acerba, acida: vel enim calorem reficiũt, vel tenaces humores diuidunt, vel refrigerant calefacta, vel ſtringendo roborant. amarum autem intra venas receptum, nec alere poteſt ſua ſiccitate, nec craſsitie facilè tranſpirare, nec calorem tenuẽ, cùm ille ſit in craſſa ſubſtantia concluſus, iuuare: nam bilis quæ ſanguini mixta eſt, acris potius quàm amara dici debet. Salubria tamẽ habentur amara ſtomacho & inteſtinis: hæc enim viſcera humore fermè nimio laborant, quem amara calore & pondere abſtergent, extrudũt, & etiam exſiccant, & quoniam inimica ſunt naturæ, eam prouocant ad expulſionem. natura cōcitata expellit non tantum hoſtem, ſed & illi propinqua omnia, noxios ſcilicet humores: indeque præter attrahendi propriam quam habẽt facultatem, eſt efficatia purgantium omnium medicamentorum. Sed quæcunque aliquid agunt & perpetiũtur, ea tanquam materia quædam inuicẽ accommodat contactus. Quoniam verò tangẽdi ſenſus ſiccitate fit, ideo terreus habetur. primus eſt hic omnium ſenſuum & multifariam per totum corpus diffuſus: in eo verò differt à prioribus, quòd carnem coniũctam medium ſentiendi inſtrumentum habet, & cum reliqui ſenſus contrariorum ſint expertes, hic in quadam mediocritate conſiſtit, in qua contraria contemperẽtur, &

ob id optimè iudicat, & homines qui eo excellunt prudentissimos facit. Igitur ad vtrunque extremorum potentiam continet, nec medium ipsum, sed defectum tantum & excessum sentit. Si verò analogia tactilis rei fuerit à temperie tactus vehemẽter remota, protinus fiet dolor, præsertim quidẽ à frigore vel calore, quæ sunt qualitates reliquis violentiores. caloris autem proprium est diuidere, frigoris cogere, vtriusque igitur partium soluere continuationem: nam etiam dum frigore coguntur partes in angustum, à se inuicem recedũt. Itaque dolor positus est in continui dissolutione: quanquam etiam vel sola forma contraria fortè dolorem afferre posset. tactiles igitur primę qualitates sunt calidum, frigidum, & etiam humidum, atque siccum: itaque cùm cæteri sensus duo tantum, iste plura contraria percipere potest. Secundæ verò qualitates sunt, quę primas istas sequuntur, vt asperum, lene, durum, molle. tertiæ quartæque certis quibusdam nostri corporis membris destinantur, & earum vires habent causas ignotas. qualitates autem vel effectus sunt substantiæ vel eius instrumenta. Substantiæ verò vel operantur palàm, vel etiã occultè, illud sensu, hoc ratione cognosci potest: sed vt paucas primarum, vt vocant, qualitatum, vires hic proferamus: calor heterogenia dissoluit, quæ sunt eiusdem generis conuocat: fit autem ex motu, & ex confricatione radiorum solis, & à calidi corporis contactu: dissoluit, euocat, adeoque consumit & arefacit. Aquam enim in aërem vertit, aërem in ignem, igneque exhalante nec humido succedente, reliquiæ siccescunt, & exeunte calore, qui nimirũ iam pabulo sit destitutus, refrigerantur, contractisque partibus densescunt, atque erispantur. Moderatus calor, propter motum & humorem coniunctum, generationi vitæ incrementoque conducit, nimius consumit & corrumpit, vehementia sua densissima quæque dissoluit, & eliquat, penetratione rarefacit, meatusque venasque latius aperit, moderato motu lenit & exhilarat, vehementi & temerario, ira incendit, celeriterq; mouetur: & ne vacuus locus sit, dum quippiã educit, aliud in meatus attrahit. Frigus contrà omnibus animæ functionibus aduersatur: obstruendo tamen ignis egressum prohibet, & eatenus calefacit. idq; est quòd ventres hyeme sunt calidiores. Humidum est quod non nisi à sicco cõtineri potest. Siccum autem quod à se ipso. facilè cedit humidum in sese tactui, ideoque molle & mutabile est, facileque nutrit & auget, abluit, segne & somnificum est, obliuiosum, & excrementosum. Siccitas contrà ingeniosa est, secũdum Heráclium & Platonem: cùm tamen immobilis sit, & dura, Aristoteles in mollibus carnibus ingeniositatem collocauit: stringit omne siccum, attrahit, consumit, quoniam ipsum est contractum atque consumptum. Et ex his quidem quæ iam diximus satis cognouimus, quæ sunt ea quæ

ſenſibus percipiuntur, & quòd tametſi quinque ſint exterius ſentiendi inſtrumenta, vnum tamen præcipuum eſt, nimirum ſpiritus, quem animalem medici vocant. Is autem à cerebro tanquam à ſuo fonte, per neruos veluti canales, in vniuerſum corpus miro quodã artificio procurrit: non quòd per minimas quaſque particulas nerui diſſeminentur, totum enim corpus ὁμοιομερὸν eſſet & nerueum, ſed quòd virtus, vt diximus, tam ſenſuum, quàm ſenſilium rerum, in iuſtas ſe menſuras extendat. quod autem diſsimilitudine rei ſenſilis ſit opus ad ſenſum, vel ex eo ſolo notũ eſt, quòd omnis ſenſus eſt motus, qui ſit nõ vnius, ſed duorũ diuerſorũ. Nam ob id etiam ingentiſsimũ cæli ſonitũ quidam à nobis non exaudiri putant, quòd illi ſumus ab origine aſſueti: quanquam hæc ad magnitudinem multi referunt: quoniam maxima quæque non dignoſcamus. Oportet enim vt in omnibus, ſic & hic iuſta ſeruetur analogia. Ita nec minima quęque, nec magis remota vel vicina quàm oporteat, exactè nobis liceat ſentire.

Sic ergo externæ effunduntur ad intima rerum
Vires. & motu magis expurgantur, vt humor
Vſque adeò in tenues qui aſcendit ſæpe vapores,
Expreſſus varijs per vitrea vaſa caminis,
Vt tandem in puri formam mutetur Olympi.
Sic rerum virtus per ſenſus tranſit in almæ
Effigiem lucis, remanetq́; prioris imago
Senſus: at puro iam facta ſimillima cælo.
Eſt oculis propior phantaſtica lumine gaudens
Virtus: & poſt hanc ratio & cuſtodia veri eſt.

Quanquam Ariſtoteles calorem potius congregare quàm ſeparare dicat, dum tamen homogenia congregantur, neceſſarium eſt, ea quæ diuerſi generis ſunt interim ſeparari. In eiuſmodi verò congregatione & ſeparatione labor omnis & ars chymiſtarum verſatur: verùm non tantum elemẽta compoſitionis ſeparant, ſed etiam quintam cæleſtem naturam, per intima rerum diffuſam: & ita quidem ſeparãt, vt, opportunitatem

tunitatem nacti, cum ea nouos cæli radios coniungant. Quòd autem spiritus æthereus præcipuum naturæ sit instrumentum, iam satis est manifestum. si quis igitur eum ritè colligere norit, mira poterit opera naturæ præstare. In hac vniuersitate cum alia corpora crassa tenuiaque sint, & alijs alia superiora & inferiora, & crassiora ascensu continuo magis subtilia fiant, propter igneam vim, qua crassitudinem assiduò deponunt & tenuitatem acquirunt, instar ætheris tandem purissima fiũt: ita conficiũt eiuscemodi rerum periti quintas suas ὀυσίας. similiter crassæ rerum species quę sensum primum attingunt, dum ad mentem, quæ in nobis supremum locum tenet, ascendunt, continenter puriores fiunt, & sordibus corporaturæ minus contaminatæ. Cùm autem peruenerunt ad sensum communem & phantasiam, iam à corporatura quidem liberæ sunt, non tamē à corporaturæ conditione. quamdiu verò non sunt prorsus incorporeæ, necessarium est, vt in aliquo corpore versentur, in æthereo nempe spiritũ, quem nos animalem appellamus, eo nimirum affecto, species etiam & cogitationes nostras affici videmus: vnde cognoscere licet, quantum referat, eum spiritum esse multum, tenuem, & ad actiones omnes animorum accommodatum. Species per hunc spiritum, quemadmodum lux per aërem purum, ad mentem vsq; fluunt: & mens species quidem similes, sed incorporeas sibi innatas habet, quæ motu similium statim excitãtur, & propter similitudinis vim etiam in vnum quodammodo coniunguntur, vnde cognitio prouenit humana, dum scilicet characteres veritatis à mente agente imprimuntur in eam mentem, quam passibilem appellant: imprimuntur, inquam, allicientibus similibus formis, quæ in animali spiritu versantur. quoniam autem hîc mens est cum corporatura coniuncta, necessarium est, vires etiam & operationes vtriusque coniungi, & in homine vniuersitatis incorpoream imaginem, cũ hac corporea vel partem eius cum parte simili conuenire, quod fieri nequit, nisi in aliquo, quod mediam quandam & vtrique accommodatam naturam habet: ad hoc autem opus est species externas per sensus transferri, quas ipsum alioqui natura sua nullas habet. vnde cognoscere licet quomodo verũ sit quod dicũt Aristotelici, nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu: siquidem est necesse formas externas cum formis mentis ad cognitionem humanam coniungi, nec coniungi possunt nisi per sensum ad intellectum possibilem trãsferantur. Dicitur autem intellectus possibilis, quo concipit animus rerum omnium veritatem. Species cum corporaturæ conditionibus in animis nostris constituunt phantasiam, quibus si mēs suas species accommodet, & eas inter se diligenter conferat, tunc ratiocinatur: sed cùm eadem species sæpius repetatur, memoriam dicimus, dum eam discernimus præteriti tēporis

notis

notis. Notæ præteriti temporis sunt illæ circunstantiæ, cũ quibus eam nos animo tenuisse scimus: hæ verò ex animorum nostrorum thesauro depromuntur, hoc est, à mente, quę quidem continet omnes formas, sed illas tantum aut ijs similes profert, quæ fuerint ab externis excitatę, quantoq́ue frequentius, tanto facilius eas profert, & inter eas est etiam, qua sumitur temporum discrimen. Primus conspectus statim phantasiam parit, quã ob id in anteriore cerebri parte collocarunt. quæ verò memoria repetuntur, constituuntur etiam in phantasia: sed non sumũtur à sensibus exterioribus, nec à phantasia proxima, verùm ab interioribus animæ partibus, quæ in corpore posteriores sunt, veniunt in phantasiam. quanquam enim hę tempore priores sunt, posterius animis nostris repetuntur. quod autem humiditas ôbsit memorię non est mirum, nam mobilitate sua rerum ordinem, qui plurimũ memoriæ conducit, facile peruertit: sed ob eandem ipsa vehementer confert phantasiæ. Ratio cùm vndiquaque discurrat, medium quodammodo locum inter phantasiam & memoriam tenet. Fastigium autem summum occupat omnium purissima mens. nam, quanquam superum & inferum aliaq́ue generis eiusdem corporata sunt, aliquam similitudinem incorporeorum gerunt.

Cumq́ anima in cũctis membris simul integra degat,
Conficit ima imis opera, & suprema supremis
Partibus. at multum quæcunque ad munia confert
Spiritus: ingenium tenui est penetrabile: crassus
Et lentus stupidos homines somnosq́ profundos
Reddit. nam prompto cùm non queat esse labori
Vtilis, ignauam est solitus captare quietem.
Sed tamen hæc alia est quoq́ causa potissima somni.
Postquam iam sensus sunt lassi, externa relinquit
Mens, vt consumptas restaurent ocia vires.
Si qui intus reliqui sint motus, somnia fiunt:
Vera quidem natura mouet, cùm nempe voluntas

Cessat, mensque sui veri spectacula cernit.
Somnia falsa solet varius proferre tumultus
Corporis atque animi: cùm mens quasq; ordine nescit
Vero dißimiles rectè discernere partes,
Membra referre solēt vanas malè iuncta chymeras.
Et quæ temporibus fuerint confusa locisque,
Non possunt propriam veri monstrare figuram.
Corporis atq; cibi motum, cæliq; animique,
Præteritumque etiã referunt insomnia sensum.
Quippe animus solito potius corpusque cietur
Motu, seu vigilent homines, seu somnia voluant.
Vt qui concipiunt auratos vndique montes,
Somno diuitias quoque captent semper inanes.
Ast illi quibus est mens sæpe oppressa pauore
Dum vigilant, timidas etiam traducere noctes
Coguntur. læto qui vultu singula cernunt,
Et noctu in stolidos erumpunt sæpe cachinnos.
Sic etiam si qui consumunt membra diurno
Luctu, non raro perfundunt stragula fletu.
Ergo cùm vario diuersa insomnia fiant
Motu, non facilè est quicquam hîc prædicere. totam
Naturam est opus, ac animi perdiscere tractus
Omnes, si cupias rerum discernere vires
Tam varias, tanta noctis caligine tectas.

Cùm instrumenta corporis, quibus est anima adiũcta, naturæ suæ modum non seruant, ipsa tunc perinde ac decet, in corpore fungi offi-

tio suo non potest. Atqui instrumentum & tanquam vehiculum animæ præcipuum, spiritus est: qui quidem reliqua instrumenta magis corporata, secũ ad imperiũ animę ducit. Si igitur spiritus naturæ modum excesserit, protinus necessariũ est operationes animæ deprauari. Spiritus verò sæpe crassior, calidior, frigidiórue fieri solet: crassitudo ad motũ ignaua est, vt tenuitas agilis ad res gerendas atque prompta: quapropter tardos, tum in motibus corporis, tum etiam animi pinguis illa lentáque spirituum temperies facit: nam exiguos etiam corporis meatus, id quod crassum est, penetrare facile non potest: & hinc mores pueriles & stupidi, cum multa stoliditate. si verò spiritus calore naturæ modum excedat, motionis celeritas, cogitationis constantiam omnem, quam rectum iudicium requirit, euertit. Inde contingit homines ad aliquod negotium transigendum temerè rapi, priusquam quale sit quodque diligenter cogitarint. Hinc ira, audacia, temeritas, multorum verborum inconsiderata profusio, atque huiusmodi reliqua vitia manãt. Si verò nimius calor nimiæ crassitudini fuerit coniunctus, ex simplicium natura, huius effectum coniectare facile licet. Calor quidem rapiet, sed remorabitur crassitudo. hinc ineptiæ prodeunt, etiam furori coniunctæ. Si nimium frigidi crassíque spiritus sint, stupidum corpus & hebes ingenium fiet. Si frigus cum tenuitate sit coniunctum, affert & penetrationis & constantiæ pariter vim, quæ quidem astutos & fraudulentos homines reddat. Si iustam temperiem spiritus obtineat, conducit ad actionum omnium moderationem, quam vbique maximè laudamus. Multi spiritus firmas operationes, tum animi tum corporis edunt, pauci verò languidas & imbecilles. Sed natura deficientis spiritus optimum remedium est largita somnum. quoniam enim ad continuas actiones animæ, spiritus sufficere non potest, exhaustis iam eo magna ex parte, reliquiæ statim ad intima retrahuntur, ne prorsus in auras effundantur, sed per interualla tantum incrementum sumant, quantum sit satis, ad alias actiones per tempus sustinendas. Quod si quęrat aliquis, quomodo hæc facit, nulla prædita ratione natura. respondebo, eam non tantum ratione, sed & sapientissima quadam mente gubernari: non tamen fit somnus ab animæ nostræ rationali virtute: nam sæpe cùm dormiendum esse ratio suadet, dormire tamen non possumus, sed ab inferiore quapiã, & corpori magis coniũcta. Cùm igitur anima spiritus quibus vtitur, sentit impares ad actiones obeundas, ab opere sensuum interquiescit, & ad nutriẽdum corpus tota conuertitur. sic reliquias spiritus animalis, cùm anima pariter ad intima corporis, vegetationis causa, recurrit. atque humiditas quoque meatus, per quos antea spiritus ferebatur, obstruit, qui etiam spiritu vacui sponte clauduntur: ita tamen vt ex-

teriùs eius aliquæ reliquiæ ſemper maneant, quæ vehementes corporis motus ad animam vſque deducant. quinetiam ſolus lenti humoris exceſſus, qui meatus obſtruat, & præpediat promptam ſpiritus penetrationem, eſſe ſępe cauſa ſomni ſolet. quapropter anima, quemadmodũ diximus, ſentiens impedimentũ, ad alia munia ſeſe confeſtim trãſfert. Spiritus verò ſenſim rurſus per ſomnum auctus, tandem humori diminuto, ac ferè prorſus diſſoluto fit ſuperior, ac tunc ſomnus iterum vigiliæ cedit. Manifeſtum eſt autem, tametſi ſenſus tanquam ſomno vinciantur, adeò vt vix obſcura quædam eorum energia ſuperſit, intimas animæ tamen actiones omnino non aboleri: nam phantaſmata voluimus dormientes, & etiam ſubinde ratiocinamur: eum autem per ſomnum motum, ſomnium nuncuparũt. ſomniorum verò cauſę, reliquiæ cogitationum ſunt, quibus animum vigilantes exercuimus, aut aliquis alius motus, vel humoris, vel ſpiritus animalis. Mens enim interdiu vehemẽtibus cogitationibus occupata firmiter imprimit ſpiritui quædam veſtigia formarum conceptarum, quæ noctu, ſenſuum functionibus non diſtracta, facillimè recognoſcit, atque ad recentem memoriam, à ſentiendi officio libera, ſeſe promptè inflectit. Humores præterea, qui ſomni tempore plurimi confluunt, ſpiritum etiam frequentiſsimè conturbant: nam mentis noſtræ ea vis eſt, vt ab vno in aliud, quod ſimile ſit, libenter incidat. Omnia verò quæ ſomniamus, maiora quàm vigilando videri ſolent: quia ſpiritus quietiores ſunt, & vnus motus facilius ſentitur, alijs non interruptus. Hinc eſt quòd, ſi dulcis pituita diſtillet mel confertim, ſi bilis, abſinthium nos deglutire putemus: ſpiritum etiam animalem, nempe cælo ſimillimum, probabile eſt à ſideribus quoque moueri. Certè cùm omnium tenuiſsimus hic ſpiritus ſit, aut ipſe potiſsimum, aut nihil horum inferiorum impelletur à ſtellis. Atqui conſtat maximam eſſe ſiderum in hæc inferiora virtutem. Spiritus autem eſt tanquam vinculũ animi, & eſt certa quadam analogia virium cæleſtium temperatus. quapropter niſi partim cogitationibus partim humorum affluxu commoueretur, ſæpe rerum futurarum præſagia cælitus mentibus noſtris ingererentur: hinc eſt quòd frequenter de rebus quę ad nos pertinent, vera ſomniare ſoleamus: nam eadem vis cæleſtis, quæ res noſtras aut parentum & amicorum mutat, propter cognationem, noſtro ſpiritui quoq; ſimilia phantaſmata imprimere poteſt, quę cùm nos interdũ incitent ad agendum, eatenus etiam ad euentum & veritatẽ ſomniorum conducunt. Triplices igitur ſomniorum ſunt præcipuæ cauſę: noſtri corporis affectio, ſenſilium formarum impreſsio, corporum cæleſtium virtus: nam ea quæ diuinitus mittuntur non veniunt in hanc conſiderationem. bilioſi itaque fermè de rebus amaris, acribus, rutilis, calidis, ira furoreq; plenis

plenis somniant Pituosi de contrarijs, aquarum inundationibus, pluuijs alijsque generis eiusdem. Melancholici de nigris, acidis, tristibus: sanguinei de rubris, dulcibus, ac iucũdis. sensus etiam præteriti vestigia suam similitudinem ingerunt, quemadmodum & motus quoque cæli: sed cùm hæ fermè tres causæ commisceantur, diligenter inter se sunt conferendæ, & quid quęque potest, est exactè considerandum, & omnis etiam ordo naturæ, quid quamque rem maximè vel consequatur, vel antecedat. Ex vna nempe specie potius in hanc quàm in aliam incidere solemus, vel quia natura magis est coniuncta, aut quoniam in nobis, vel propter naturam singularem, vel consuetudinem vitæ magis coniungi solet. Hæc igitur omnia perpendenda sunt, si quicquam ex somnijs rectè prædicere velimus. Vigilia somno contraria est, tanquam energia potentiæ, & habitus, vt dicunt, priuationi. Est hæc itaque constitutio per quam anima in sensuum munijs versatur. Contingit autem & hanc excedere terminos naturæ, propter corporis ariditatem, dolorem, vel aliud externum impedimentum: nam si meatus humore non irrigentur, tanquam fenestris apertis, semper res sensiles ad animum introibunt. Dolor etiam & exteriora quoque prohibent somnum, quòd animã circa sensum teneant occupatam, quæ semper illi maximè dedita est, quòd inter cætera potissimum vrgere videtur.

Corpora circuitu naturæ vestra feruntur,
Et cum corporibus mẽs: hæc quoque perpete mutat
Corpora contactu. calidum iracundia succum
Affert. tristitia est nigro perfusa colore:
Extendunt roseam vitam ampla in tempora læti.
Conceptas species tenues quoque mittit in auras
Mens humana, quibus censent externa moueri:
Puris spiritibus quòd corpora cuncta regantur,
Qui possint minimos etiam discernere motus.
Quid quod corporeæ penetrant facilè vndiq; formæ:
Id cuique è speculis notum est, sonituque, remotas
Et multas facili qui verbere percutit aures.

Certè est humanæ permagna potentia mentis.

Cùm omnis rerum natura firmißimis quibusdam vinculis sit connexa, necessarium est vnius corporis motum & alia quoque suis ordinibus sequi, & animum quoque corporibus adiunctum, cum ijs natura commoueri, quanquam interim ipsæ superiorem suique iuris potestatem habet, qua motibus inferioribus resistat. Verùm hęc potestas exiens in energiam suam etiam naturalem vim obtinet in adiunctam corporaturam, quoniam nihil ociosum est, sed in proxima quæque se vis omnis semper extendit, & in ea præcipuè, quæ maximè sunt coniuncta. quapropter necessarium est affectionum animi confestim corpus quoque particeps reddi, quoniam, vt iam sæpe diximus, alterum alterius similitudinem quandam gerit. Ita cùm animus rapitur ad vindictam, bilis illi seruiens statim in corpore nostro concitatur: quemadmodum & dum bilis agitatur circa præcordia, confestim ira quoque prouocatur. Animus à circũstante malo constrictus in mœrorem, corpus etiam comprimit in melancholiam, & melancholicus humor animùm cohibet in angustum, nec eum effundi sinit. Animus etiam moderatis motibus corpus contemperat, & corpus contemperatum ad animorum mediocritatem est adiumento. Hæc autẽ de spiritibus primum sunt intelligenda, qui proxima mentis sunt instrumenta, quanquam & hi fermè reliquam corporaturam sequuntur. & tamen talis esse potest cerebri, cordis, alteriúsue membri tẽperies, vt id quod à reliqua corporatura prouenit vehemẽter in vtramuis partem immutet, talis etiam esse potest animus, qui corporatura vel vtatur vel abutatur, & eam continuò vel meliorem, vel deteriorem reddat: nam etiam ab eo externa mutari clarißimorum philosophorum sententia fuit. Certè species quædam ex omnibus rebus effluunt, quemadmodum sensus nostri manifestũ reddunt, & istæ cùm tenuißimæ sint, non impediuntur, quò minus vim suam & efficacißimã quidem, quàm latißimè diffundant. Deinde infimæ mentes, quę corporibus pręsunt, cum his habere putantur quãdam affinitatem, adeóque formis quibusdam, pręsertim ijs quæ vim animæ continent, verbis scilicet eas allici ad corporatas actiones, consentaneas legi naturæ. Idem etiam fieri characteribus proprijs, qui vim suam à cognatis siderũ radijs sint adepti. Verùm ad volũtarias actiones mentes cogi non possunt, & hęc ars occultarum virium nondum est inuenta, & obscurior est, quàm vt facilè poßit inueniri: sed tamen dubium non est, quin plurimæ sint occultæ vires, licet nobis sint ignotæ: nec etiam istud dubium est, quin maxima sit vis animorum in hanc corporaturam.

Sed

Sed tibi nunc reliquas animæ describere pergam
Vires. cùm potius sint vestræ exordia vitæ
Ignea, cumq́; leuem consumat flamma vaporem,
Hinc fraudata suo tabescant viscera succo,
Ni persæpe cibo fuerint recreata salubri:
Sed motus qui membra regit dispensat in vsus
Cuncta suos. amor & violentia cuncta gubernat.
Hæc propriam sequitur communemq́; ille salutem.
Sed tandem vtilitas opus est vt publica vincat,
Atque vno variæ lites superentur amore.
Nempe hic cuncta parit potius, fouet atque tuetur.
Iste propinqua trahit, retinet, commutat & auget
Omnia, vitalem fundit per membra vigorem:
Ast aliena sua grauitate expressa recedunt,
Exteriúsue leui promptè educuntur ab igni:
Seq́; grauata leuant quoq́; pondere membra molesto.
Cumq́; carent succo, hunc circum præcordia sugunt,
Et stomachum exhausto stimulant ad pabula sensu.
Hinc est nata fames, sitis & pius vsus edendi.
Non tamen hinc sumptu regali mensa referta,
Non auro pateræ, non pocula fulgida gemmis,
Non condîta modis varijs & fercula multa,
Non hæ deliciæ quas nulla requirit egestas:
Sed peperit luxus vitæq́; inimica vorago,
Quæ pariter consumit opes corpusq́; animumq́ue.
Natura & ratio tantum moderata requirunt.

A' stomacho accipiunt similem intestina liquorem
Lacti, atque hunc varijs gyris retinentque coquuntque.
Epar per minimos ductus trahit vtile. bilem
Fel recipit: contrà splen nigra & terrea sugit
Ad latus oppositum: renes vesicáque succum
Emulgent aqueum. at diuersis ductibus artus
Omnes sanguis alit, crescente ex epate fonte,
Qui per membra suos mittit sursum atque deorsum
Riuos, aßiduo ductu queis cuncta rigantur.
Non aliter vario nunquam cessantia tractu,
Vndique fœcundam percurrunt flumina terram.
Ergo alimenta suos sic dispensantur in vsus.
Et cuique hæc grato condit natura sapore.
Nam quid quemque decet nouit. largitur amicis
Pauperibus, vacuæ donec sint vndique cellæ.
Sed cùm sint motu pereantque hæc cuncta quiete,
Hinc respirandi virtus, quæ & feruida perflat,
Torpidáque exagitat. simile est compagine pectus
Folli, qui recreet vitali viscera motu.
Atque istum potius moderatur libera virtus:
Quæ nisi continuò pretiosum exuscitet ignem,
Horrida mors rigidos confestim poßidet artus.
Rauco at vis vacui facilem trahit aëra ductu,
Qui subitò vitæ transmissus ad intima primæ,
Aßiduò, tenui cum sanguine, verbere cordis
Cuditur, & vario pulsus per membra canali,
Omnia

Omnia permeat & vitæ sua damna resarcit.
Partimq́ alta petens, cerebri per retia fertur,
Textu multiplici admiranda, atq; ætheris instar
Fit purus, quo mens sentit, corpusq́ mouetur.
Hic tanquā medium vinclū cum corpore mentem
Nectit, & externas recipit, paritérque figuras
Æternas. hominis nam fabrica continet ambas.
Sed via quæ medio hoc spacio decurrit vtrinque,
Inuia, vel limo vel sentibus obsita, vires
Coniungi prohibet: sic sæpe est omnis inanis
Actio. nempe opus est vt coniungantur in vnum.
Expurgate viam studio, sinite vltro meare
Et citro species, vt mens & sensus eandem
Assumant rerum faciem, mundusq́ perennis
Corporeúsque vna tabula pingatur vterque
Humanæ formæ. nempe hîc per corpus imago,
Per mentem exemplar coit: vt ratione probentur
Quæ sensus dedit, & rursus phantasmate fulta
Sit ratio. namque ista sui spectacula mundi
Cernit in externo speculo. at nitidissimus aptum
Spiritus est medium. qui concipit vndique formas:
Si concepta animo sint ipsis consona rebus
Veras: ast intus fuerit si turbidus æther,
Corrumpit species. opus est hunc esse serenum,
Possit perfectos quo rerum admittere vultus.
Hic motu cordis totos diffusus in artus,

Vitā affert. tandem hunc cerebrū virtute mouendi
Afficit, atq; omnem profert in corpore sensum.

In corpore nostro triplices sunt animæ functiones, quarum alias naturales appellant, alias vitales, & tertias animales. Duæ verò priores nunquam intermittuntur, nec sunt in arbitrio nostro sitæ: in animales autem voluntas imperium suum habet. Multo nimirum maius animę cum corpore commercium est, in obeundis actionibus vitæ reliquæq; naturæ. Actio naturæ trifariam est diuisa, in nutrientem, augentem & generantem. nutriens vis in locum eorum quę continuò diffluunt nouum substituit alimētum. Cùm enim innatus & etiam externus calor assiduò corporis particulas cōsumat, ne prorsus intereat, opus est alias in locum absumptorum reponi, quod fit per vim quam nutrientem appellant, cuius omnem substantiam in corporis temperatura collocamus: est autem temperatura in iusta quatuor elemētorum analogia, quam singula corpora, singulorumque corporum singula membra suam habent, ab initijs suæ compositionis sibi innatā, quæ tamen cum tempore plurimas ob causas vehementissimè mutatur, ita tamen, vt primordia suæ geniture conseruet quantum potest: nam qui eam mutare volunt grauissimorum morborum ferè sunt authores, quamuis interim leuiter potest in meliorem constitutionem deduci. Manifestū est autem quòd hæc temperatura transeat à parentibus in filios & nepotes: id enim quod in membris parentum redundat iam percoctum & ijs simile factum, trahitur ad generationem, idque nos semen appellamus: nec tamen semper fructum profert, quoniam & iustam humanæ formæ temperaturam requirit, & etiam cæli consensum atque locum accommodatum quo contineatur, alimentumque quo suum incrementum sumat. Cùm verò iam futurum est vitale semen adhærescens vtero statim sanguinem maternū trahit per venas quibus cum vtero ligatus est, qui cū eo proculdubio magnam affinitatem habet: nisi enim vir elementorum cælique temperatura cum fœmina conueniret, nunquam procrearet. Quòd autem semen parentes referat iam manifestum est, vt etiam quod sanguis consentiat cum temperatura materna, atque adeò etiam cum fœtu: & hinc est, quòd ab eo, dum alitur fœtus, paucissima supersint excrementa. Secus accidit cùm iam vescimur ijs rebus, quæ sunt à natura nostra magis alienæ, quę quidē multis excrementis redūdant. Inter similia verò semper vehemēs est attractio, quia scilicet, propter monadis imaginem, vehementer conspirant in vnum. Alimentum autem facilè sequitur attractionem eius quod

alitur,

alitur, cuius nimirum vſibus eſt à natura deſtinatum. attrahendi vis eſt prima in operibus naturæ, cuius ſubſtantia eſt in ſimilitudine temperaturæ, vel potius in formis quæ temperaturis vtuntur. Ita cùm attrahi quippiam à membris volumus, id ijs quàm ſimillimũ reddere conamur. Verùm cùm nihil tam ſimile ſit, quin aliqua ex parte ſit diuerſum, neceſſariũ eſt hoc partim mutari, partim etiam ſeparari: mutatur autem ab innata temperatura: nam natura comparatum eſt, vt quod ſuperius eſt, vim ſuam imprimat inferiori, atque hoc in ſuam naturam conuertat. Verùm cum momento nihil fiat, ad id ipſum tempore ſemper eſt opus. tam diu igitur neceſſarium eſt alimentum proximum contineri, quouſque fuerit immutatum. Retinẽdi tamen, ſi quis bene cõſideret, eadem facultas eſt, quæ attrahendi. nã vtraq; in ſimilitudine eſt collocata: quæ efficit vt & plura coniũgantur, & etiam coniuncta conſeruentur. Cùm autem iam planè ſimile factum eſt alimentum, arctius in vnum coniungitur, & in eiſ quod alitur ſubſtantiam tranſit, propter monadis ſummam vim quam ſimillima gerunt: vnde fit, vt partes alimenti, quæ mutari non potuerunt. ab alijs ſeparentur, ſimilibus ſcilicet attractis, alienis verò relictis. vt igitur concoctio melius fiat, temperamentum membri corroborandum eſt, alimentumq́;, quò facilius mutetur, eſt etiam præparandum: vtrumque verò fit ijs quæ ſimilia ſunt innato temperamento: ita tamen vt interim ea quæ diſsimilia ſunt ab vtroque tollamus, ab eo nimirum quod alitur, & ab eo quod alimoniam prębet. Temperamentum igitur collapſum membrorum reſtituemus, & id quod in alimento diuerſum eſt quoq; corrigemus: vt ſi nimis ſit tenax, ſi multum, calidum, alitérue modum ſuum excedat. Cùm vis nutriens multum poteſt, quemadmodum in ætate prima, multum alimentum ſibi ſimile reddit, pluſq́ue ſibi coniungit, quàm vi caloris exhauriatur, præſertim cùm partes teneræ ſint & molles, quibus quod accedit, facilè poteſt adglutinari: ita cùm materiæ moles æquabiliter creſcat, neceſſarium eſt, vt forma membri per eam ſe latius, expulſa priore, extendat, idq́; nos incrementum appellamus, cui quidem manifeſtum eſt, & temperaturæ robur, & alimenti temperiem multitudinemq́ue conferre. Cùm autem omnia membra ſibi ſimilia trahant, neceſſe eſt loca, quibus alimenta continentur, interiora ſcilicet, vtili ſucco deſtitui, indigentiæq́; ſenſus fames & ſitis appellatur: fames, ſi craſsius, ſitis, ſi liquidius alimentum ſit exhauſtum: nam corpus noſtrum vtrumque requirit: quòd ſolida non facilè trahantur & cõmiſceantur, ſed potius meatus obſtruant, liquida tametſi facilè ducantur, facilè diffluant & expirent. Oportet autem vt craſsitudinis alimenti ad meatuum amplitudinem accommodata ſit analogia. Potus craſsiores partes ſecum ducit, & quod noxium futu-

rum eſtabluit. Cibus etiam imbibit liquorẽ ad humectationem membrorum: ſic mutuo ſubſidio ſibi cuncta ſunt in corpore humano, idq; etiam prouidè natura machinata eſt, vt particulæ particulis analogia decenti meatuum inter ſe conſentirent, & alimentum omne iuſtè diſtribuerent: quemadmodum enim membra ſunt diuerſa, ſic & multæ partes in alimento ſunt, & quæque pars ſuas ad ſe trahit: nec id tantũ, ſed & alias quę ijs coniũctę ſunt, & reliquo corpori ſeruire poſſent, aut obeſſe. omnes quidem partes corporis aluntur ſanguine, cuius epar eſt officina: id ex cibo in ſtomacho & inteſtinis in chylum conuerſo per meſenterium appellatum, & inconſpectos ob tenuitatem poros quod eſt quàm ſimilimum ad ſe trahit, & conficit in alimoniam totius animantis: hoc per canales primùm maiores, deinde minimos profluit in totam corporaturam, dumq; profluit continuò mutatur ab ijs partibus quas attingit, quæ cum vicinis eam analogiam ſeruant, vt ijs pręparent affluens alimentum, & hoc acquirat eam quam partes habent analogiam, & vt interim tamen quælibet ex eo quod ſimilimum eſt trahat, quod autem eſt diſsimile relinquat: hoc autem partim ab alijs membris trahitur, cùm habeat aliquid quod illis ſeruiat admixtũ, partim etiam expellitur ab ijs partibus, quibus non cõducit: ita cibus partes habet ſtomacho conducibiles, quibus hic expletus, quod fermè fit, cùm eſt in chylum ille conuerſus, dimittit eum ad inteſtina tenuia delabi, quæ dum ſatiantur, epar partes neceſſarias trahit, & tũ excrementoſæ partes ad inteſtina craſsiora deijciuntur, quæ tandem etiam eas extro propellunt. Epar etiam dum ſe reficit vniuerſo corpori ſanguinem parat, & interim redundantem bilem cyſtis huius allicit, quę poſtea eam ad inteſtina prouocandæ excretricis facultatis gratia depellit. Sanguis quò facilius deferatur multum ſeroſum humorem continet, is poſtquam ſatisfecit naturæ, trahitur à renibus & veſica, cum aliquo vtili alimento admixto: non enim eſt veriſimile, quod membra quæ ratione carent, alijs ſeruiant citra ſuos aliquos vſus. id quod in ſanguine nimis terrenum eſt, ſplẽ exugit, & poſtquam eo ſe pauit, partim ad ſtomachum appetentiæ prouocandæ cauſa deriuat: & quoniam ſeroſus humor ſanguinis vehiculũ eſt, qui ad extremam peripheriam ducitur, is exit in ſudores & inſenſiles expirationes. Iam cõſtat excrementa referre naturam earum partium per quas feruntur. Quapropter, ſi cognouerimus qualis fuerit cibus & potus, & qualia ſint excrementa, nõ ignorabimus à quibus partibus ſic aut aliter affectis potuerint hoc modo vel illo mutari: & inde affectionem quoq; membrorum cognoſcemus, quemadmodum in ea medicinæ parte traditur, quã σημειωτικὴν vocant. Has autem operationes naturæ partim concordia, partim etiã diſcordia profert. Concordia ex pluribus vnũ facit, diſcordia verò facit ex

cit ex vno plura: separat enim ea quæ prius fuerant coniuncta: quatenus autem separata sunt, commune nihil habent: sed vnius separatio alterius coniunctio est, iustaq; totius naturæ connexio semper manet, qua communis salus cõtinetur: ita necessarium est discordiam semper à concordia superari: sed hæc latius hoc loco non sunt explicanda: spero breui nobis opportunitatem concessum iri, qua omnes has actiones naturæ magis particulatim, cumq; suis causis omnibus, & quibus rebus quomodo iuuẽtur aut impediãtur, diligẽtissimè tradamus. Sed iam de ea nostrorum animorum virtute dicendum est, quę corpori vitalem motum affert: hæc autem mediam quodammodo naturam inter sensitricem atque vegetatricem tenet. Eius itaque officina in corde est, vnde diffunditur spiritus vitalis in vniuersum corpus. Est autẽ cor nerueum, densum & musculosum, ad actionis continuatæ efficaciam, & tãquam in medio corporis costis & spina, veluti septo, tectum. quò facilius vndique distribueretur vita, atque securitatis causa: additusq; flabelli vice pulmo est, ad caloris excitationem, & remedium suffocationis. A vena quadam quæ ab epate per spinam ascendit, ramus ad sinistrum latus cordis fertur, ibique spiritosum sanguinis vehiculum, vitalem accipit virtutem à corde: deinde ramus eius vnus, in omnes partes inferiores funditur, alter sursum ductus, simili ferè diuisione, altioribus partibus vitalem spiritum infundit: nam tametsi minimæ quæque partes venas vitales non attingunt, vis tamen harum ad vicina quoque penetrare facilè potest. Arteriæ verò quæ ad caput ascendunt, partim cerebri medullam inuoluunt, ibique in formam retis diuisæ sensilem tenuissimam vim continent. Videmus enim vapores quanto remotius attolluntur, tanto expurgatiores reddi. Huc etiam accedit cerebri frigida natura, quę continuò separat & deprimit ea quę sunt crassiora: quin etiam aëris tenuissima portio, quæ trahitur inspiratione, sursum vergit ad animę supplementum. Contingit autẽ quiddam in respiratione, quemadmodum in flabellis, vt dum vter extenditur & dilatatur, ne vacuũ aliquid relinquatur, confestim aër influat. Extenduntur autem partes circa pulmonem præsidio neruorũ & musculorum, inde fit quòd etiam voluntarius hic motus esse dicatur. Cordis verò dilatatio compressioque, qua spiritus per arterias pellitur atque retrahitur, in nostra potestate non est sita: quoniam eam cohibere non possumus, quemadmodum respirationem. Fit autem motus cordis certa quadam analogia: quam author rerum omnium ad animantium conseruationem imposuit illi membro, cuius consideratio potius ad medicos, quàm ad philosophos spectat. Spiritus cordis, cùm fundamentum sit illius, qui ad sensum in cerebro continetur, sine hoc corruent proculdubio principales omnes animæ virtutes: quemadmodum

admodũ obstructis apoplecticis venis fieri videmus: cùm vis interim maneat vegetationis, quæ tamen propter partium sympathiam quoque tandem laborat & perit. Itaque cùm ex sanguine tenui fiat spiritus vitalis, ex hoc autem animalis, nec erit sine vegetatione vita, nec sine vita sensus. Non tamẽ vitalis spiritus ad sensum tantũ est factus: sed etiã præcipuè vt corpus totũ eo moueatur & incalescat: quod alioqui letali confestim quiete rigeret. Quapropter cùm affecto vehemẽtius corde statim animans intereat, anima maximè cordi coniuncta videtur, quòd minimam eius oblęsionem maximè sentiat, & illius vsu destituta, statim corpus relinquat: ideoque sedem præcipuam animæ esse cor, Peripatetici voluerunt, è cuius centro virtus eius in vniuersum corpus effundatur. Verùm non tantum id quod magis necessarium, sed quod præstantius & nobilius est considerari quoque debet. Sic dicimus præcipuum esse videndi sensum, & in aurata tecta fundamentis regiæ præferri. Sed hæc qualiacunque sint, iam constare potest, spiritum tum vitalem, tum animalem, sanguinis, aërisque inspirati naturæ respondere, & si hęc obtusa sunt, statim obtusum quoque spiritum, & sensum hebetẽ, corpusque deses & pigrum esse: quod in pituitosis facilè videre licet, fœminis, senibus, hyemisq; tempestate: sed biliosi, diuersas ob causas, sunt agiles, acuti, varij, & inconstantes: melancholici acuti, constantes & prudentes: quia sanguis eorũ, quanquam crassus est, tamẽ est etiam siccus: ideoque spiritum nec multum, nec etiam lentum emittit. Sic videmus aquam in crassum vaporem facilè permutari, propter affinitatem naturę. Terra verò quia parum humoris continet, id per densos poros expurgatum emittit, ideoque melancholici dicuntur ab Aristotele fortasſis ingeniosi, vel potius quòd nimium studium siccos & frigidos animos reddere solet. εὔκρατοι verò, quos etiam sanguineos vocant, omnia moderata posſident. Cùm igitur hoc, vt diximus, pacto vita per vniuersum corpus effundatur, si quod membrũ intermoritur, contingit id defectu spiritus vitalis. Deficit verò clausis aut resectis meatibus eo deductis, præcipuè verò fonte, corde nimirum, marcescente, & ab opere interquiescente. Necessarium est vitalem spiritũ in corpore cõtinuo restaurari motu cordis, & ideo nullam hic patitur intermisſionem, quemadmodum is, qui proficiscitur à voluntate. Sed quî fit igitur, diceret aliquis, quòd omnes corporis motus voluntatis imperio non parent. Cordis enim motus in nostra potestate non est, nec reliqui multi motus naturæ. Non enim coquimus alimentũ dum volumus: nec noxios humores expellimus, sed huiusmodi multa fiunt à natura citra voluntatẽ. Atqui si natura nostra nunc esset integra, corpus animæ, nimirum superiori, semper obtemperaret, nunquam ab eius imperio quicquam deflecteret: sed nunc animus per

vitium non mediocriter de suo statu deiectus est, & cum eo corpus cepit malè consentire. Hinc est quòd in mille difficultates inciderit humana natura. Animus enim fractus suum corpus non bene potuit gubernare, corpusque non comprehensum ab anima legibus rationis, peperit miros tumultus: sed tamen partes animo proximæ minus ab eo defecerunt, reliquæ verò semel malè affectæ, nunc tantum sequi volunt naturam, in quam corporatura magnam partem tenet. Attamen corpus cum animo suam quandam adhuc symphoniam reddit, qua actiones vtriusque si non optimos, suos tamen præbeant hominibus vsus. Sensus cum vita consonus est: nam videmus cum phantasia dum irascimur, dum metuimus aliterue perturbamur, cor etiam protinus commoueri. Consonus est etiam cū functionibus inferioribus naturæ, cordis motus: nam eum in feruidis morbis intendi, in frigidis remitti scimus. Sine eo nunquam perficerentur inferiores actiones, sine eo corpus vniuersum torpesceret & frigidum fieret, quemadmodum in vita defunctis: nam cùm homines ad functiones rectè peragendas haberent opus euidenti & continuo calore, ideo cor perpetuò palpitat, eoque perennem corporis motum & calorem nobis accommodatum conseruat. Is autem calor est instrumentum naturalium functionum: cumque motu atque calore cor etiam tenuem spiritum & vaporem sursum ad cerebrum mittit, qui sit sensuum instrumentum. ita cuncta consonant, functiones functionibus, & anima cum corporis mole: nam quòd etiam superior animæ in corpore virtus conueniat cū inferiori, profundæ cogitationes euidenter demonstrant, quibus opera naturæ deteri sentimus: has verò roborari & recreari, dum animus laxata contétione, vires in corporis amplitudinem placidè diffundi sinit. Itaque grauioribus studijs nimiū deditos marcidè insalubriterq; viuere cernimus: contrà eos qui moderatis corporis motibus & voluptatibus se tradūt, ducere floridam vitam. Similiter detrimenta functionum naturalium protinus afficiūt operationes animæ superiores: ita cor & cerebrum instrumenta quædam ab epate & reliquis membris habent, quæ si accommodata non sint, necessarium est, vt impediantur eorum actiones. Itaque aduersa valetudine laborantes, perinde commodè peragere nequeunt operationes mentis. Omnia nempe mira quadam analogia inter se consentire debent, & extrema suis medijs in vnū decenter coniungi: sed quærat adhuc aliquis, qui fiat, quòd functiones inferiores, volūtatis imperio non gubernentur. Hæc enim quæstio non videtur à nobis esse satis dissoluta. Cùm voluntas in omnibus corporis partibus cum anima versetur, qui fit, quòd in functionibus inferioribus potestatem suam amittat. Atqui iam satis constat animam cum corpore in vnam naturam coniunctam edere composi-

tas actiones, & in compositione quiddam esse corporeum, quiddam etiam animale: & quale fuerit vtrũque iunctim, tales etiam esse totius operationes: vnde fiat vt hæ sequantur etiam corporis coniuncti naturam: quæ cùm in omnibus partibus diuersa sit, non est mirum, quod illæ quoq; non sint vnæ. Singulæ partes suam habent naturæ constitutionem, quæ sit ad cuiusque totiusque speciem accommodata. Qui verò in mediocritate positi sunt, magis apti sunt ad omnes humanas actiones. aliæ quoque partes ad has & ad alias aliæ conducunt. Spiritus & nerui ad sensum & ad motum, non tamen ęquè semper idonei sunt: nam constat multis morbis eorum actiones impediri vel aboleri, cùm scilicet non habẽt constitutionem functionibus suis accommodatam. In phrenesi, quia calidiores turbulentioresque spiritus & instrumenta reliqua sunt, omnia sunt furore plena, quod etiam accidit, dum quis ira vehemẽtius est commotus. melancholia, quoniam est tenebricosa, & inimica calori & humori natiuo, grauem mœrorem & metũ secum affert. Pituita nimia veternoso stupore nos obtundit. denique qualia sunt instrumenta, tales esse solent operationes. quædam voluntati destinata sunt, quædam autem naturæ: voluntati, quorum actiones multiplices & diuersæ sunt futuræ, & etiam frequentius sunt cessaturæ. Cùm enim prosequenda fugiendaque diuersissima sint, quæ voluntati proponuntur, & cùm etiam frequenter neutra nobis obuia sint, quo tempore nobis quiescere licet, oportebat spiritum animalem, ad quem species boni & mali accedunt, & neruos atque musculos ijs adiunctos, liberæ voluntati seruire, quibus fieret in diuersissimas partes motus. Cùm autem cor naturęq; membra cõtraria sibi non proponat, sed vitæ semper conseruationem, concoctionem, necesse non fuit, vt voluntati parerent. quemadmodum autem in somno pectus mouemus, dum anhelitum attrahimus, citra sensum euidentem boni vel mali, simile quippiam in motu cordis accidere videtur, & etiam in reliquis inferioribus motibus naturæ: vt qualis est affectio temporaria instrumentorum pectus mouentium per somnum, talis, comparatione volũtatis, sit instrumentorum cordis perennis & naturalis: & ideo motus cordis non est in nostra potestate, quoniam ad voluntariũ motum opus est sensu aliquo boni vel mali: quanquam in quibusdam est obscurus, vt in animantibus brutis & pueris recens natis. In cordis autem motu, vt iam diximus, non est opus sensu boni vel mali: sed tamen is ab eodem principio deriuatur: nam corporeus omnis motus vel rectus sursum aut deorsum, vel est in circulum, si tamen hic posterior corporeus & non potius mentis & intelligentiæ motus dici debet: quę verò alium habent, necessarium est ab incorporeo moueri. Cùm autem cor perpetuò debeat moueri, rectè factũ est, vt ille quo moue-

tur

tur, dilatationis & constrictionis sit motus. Ita namque locum suum quodammodo conseruat, quemadmodum & ea quæ crescunt atque diminuuntur: centrum enim eundem semper retinet locum. Cordis motum arteriæ quæ cordis propagines sunt imitantur: nam ab eo mouendi virtutem sumunt. Dilatatione vitali spiritu implentur & refrigerantur, compressione eũ in omnem extrudũt corporaturam & pariter fuligines expellunt. iam manifestum est actiones partim instrumenti, partim efficientis naturam referre: instrumentũ, calidum, frigidum, humidum, siccum, molle, durum, plenum est & inane, & similibus etiam nominibus pulsationes arteriarum appellamus. Constat autem celerem esse caliditatem, & etiam frequentem. Quanto namq; citius quid mouetur, tanto frequentius recurrit: verum vbi moderata est instrumentorũ constitutio, hæc omnia sunt moderata. instrumenta verò præcipuè cor & arterias hîc appello. Quatenus autẽ à mediocritate discedũt immoderatæ pulsationes fiunt: nonnũquam etiam in instrumentis cordis, præcipuè spiritibus, frequẽtes fiũt & subitæ mutationes, & vel ordinem aliquem seruant, vel eo planè carent: hinc fiũt pulsus inæquales, qui vel tertijs, vel quartis, vel alijs rursus locis æqualitatem seruant: hinc μυούροι δορκαδίζοντες, formicantes, & alij, in quibus semper intelligendum ordinem perturbationi debere præferri. ab efficiente causa robusta, magni à contraria contrarij pulsus fiunt: sed hæc aliam tractationem requirunt. Motus quo corpus nostrum in varias partes transferimus, à cerebro suã originem ducit: vnde quosdam mouendi neruos ad omnes corporis partes extendi videmus: nam & spinalis medulla, ex qua pleriq; emergunt, à cerebro non tantùm principium & virtutem omnem habet, sed etiam inde spiritum concipit, qui mouendi præcipuum sit instrumẽtum. Spiritus igitur purissimus animæ sibi proximæ virtutem accipit, & eam transfert in neruos, eosque sequitur quoque reliquum corpus. Diximus autem prius in æthereo corpore mentis incorpoream vim fieri corporatam, magis tamen in vaporibus & solidis membris. Diximus etiam quàm magna sit virtus analogiæ, quæ quidem euidẽs est in ijs quæ continua vocantur: nam quòd eorum partes tam ægrè diuelli possunt, id ipsum fit, non ob aliud, quàm ob coniunctarum rerũ analogiam. quæ enim alia causa esse potest, quòd ligni, ferri, vel alterius continui partes tam arctè cohærent, quòd neruis & funibus ingentes moles trahuntur, & quòd non ipsi potius discerpuntur: nulla alia causa esse potest, quàm analogia partium coniunctarum. Partes autem primæ sunt quatuor elementa, ex quibus quidẽ omnia fiunt: sed hæ diuersis temperamentis diuersas analogias referunt, & hæc est causa varietatis omnium rerum. Analogiam omnem probauimus in vnũ, non tamen in omnibus

pariter conſpirare, in quibuſdam enim arctior eſt, in alijs verò latiùs patet: magis cũ monade ſeſcupla conuenit, quàm epitrita, & omnium maximè dupla: ſed tamen omnis analogia monadis ſimilitudinem, quamuis alia quàm alia maiorem, gerit. Continuum etiam definiunt id, cuius extrema ſunt vnũ. Verùm non poſſunt vnũ eſſe, niſi per analogiam eorũ, quorum virtus in vnum conſpirat. Inter ea verò quæ contigua vocant, quanquam in proximo contactu ſint, ſemper aliquid eſt quod analogiam & continuationem interturbet. Quanquam hîc etiam nonnulla tam arctè coniuncta ſunt, & ſuppleant continuationis vicem: ſic clauis aut vinculis adacta, manibuſque firmiter comprehenſa difficulter auelluntur: quòd violenter in vnum ſint conſtricta. ſed naturæ placida ſimilium partium coniunctio magis placet. Ita videmus vulnera, ſi in illis nullus pûtridus humor ſit, facilè conglutinari: quoniam arctius in vnũ oræ coniunguntur. Nerui verò propter partium arctam analogiam, apti ſunt ad motum, nec etiam poſſunt facilè diſcerpi. Similemque naturam etiam muſculi tenent, & reliqua quoque membra quæ eius generis ſunt, & in eos vſus à natura facta. Humores & ſpiritus tantam coniunctionem partium non requirebant. Cùm enim oporteret eos fluere per vniuerſum corpus, ſi toti fuiſſent in vnam continuam molem tam firmiter connexi, non potuiſſent per minimos corporis meatus tam promptè penetrare. Cùm igitur hi minimis particulis facilè diſtrahi poſsint, non ſic attrahuntur à ſpiritibus nerui, tâquam ſint cum illis, & illi cum anima, quemadmodum reliqua continua: firmiter coniuncti, vt animæ tractu continua coniunctione totius corporis partes commoueantur: ſed hîc contingere videtur idem quod in reliquis motibus violentis, vt id quod mouetur concipiat poteſtatem eius quod mouet: quoniam in naturæ conſentaneas menſuras omnia ſuas vires extendunt, & natura ſemper paret imbecillius potentiori: At tandem tamen per longa vel ſpacia vel tempora vires deficiunt, quoniam natura non patitur, vt vllum violentum ſit diuturnum. Quòd autem concipiantur vires temporariæ rerum facilè motus indicat, quo non tãtum noſtra corpora, ſed etiam ferreas tormentorum pilas ad tempus incaleſcere ſentimus: quoniam enim ignis maximè mobilis eſt, natura voluit, vt quicquid moueretur, conciperet quandam igneam virtutem: tantum ſimilitudo, non ſolùm rerum, ſed etiam actionum poteſt. dum aliquid contra naturam impellitur (contra naturam inquam eius quod impellitur, non autem eius quod impellit) ſi nulla vis imprimeretur, quæ quidem etiam aliquandiu infixa maneret, dum abeſſet cauſa quæ moueret, confeſtim ceſſaret motus. Non autẽ ſtatim ceſſat: ſed in certã menſuram tẽporis & loci ſe extendit virtus, & id quod imbecillius eſt ſibi cedere cogit:

nec id.

nec id tantũ, ſed etiam ab vno concepta virtus in aliud inſuper tranſit: ſic magnes ferro trahendi vim concedit: ſic anima per ſpiritus neruos, hi verò pondera mouent. qui maximos igitur animos & neruos robuſtiſsimos animiſque quàm accommodatiſsimos habent, hi facillimè quid violenter impellent. Magnos autem animos voco, qui plurimos & accommodatiſsimos ſpiritus, tanquam inſtrumenta prompta rerũ gerendarum habent. Simile quiddam etiam in tormentis contingit, vt alterius corporis motum concipiant, ea quæ mittuntur: ſed ſemper oportet ſeruari rerũ mutuam analogiam. nam ſi nimis graue ſit quod impellitur, non cedit, ſi leuius quàm oporteat in aëre retinetur, & interim etiam neruorum vires, qui iuſto ponderi niti debent, impetu ſuo diſtrahuntur. Adeò iuſtitiam amplexatur omnis rerum natura. Dum autem animus ſentit detrimentum ſuorum inſtrumentorum, vires illico remittere ſolet: nam cuncta mali ſenſu ſe contrahere, & impetum ſuũ relaxare videmus: quoniam tamen â volũtate proficiſcuntur hi motus, de quibus nunc agimus, eius contentio magnum momentum ad res magnas conficiendas tenet: ſed fermè malum eſt verè quod phantaſiam ſpecie boni mouet, vel quòd non idem animo corporiq; conducat, vel quòd futuro potius quâm tempori præſenti ſit conſulendum, & ideo volũtas non ſtatim corporis motibus obſequi, ſed diligentem rationis normam adhibere debet.

Poſtremò humanæ geniture reddere cauſas
Nunc libet. in certos numeros cæliq́ue ſuosq́ue
Semina concreſcunt, auidis concepta latebris.
Quaq́ue vterum attingunt, blãdo membrana calore
Siccẹſcit, molli quæ inuoluat tegmine fœtum.
Per ventrem is medium venis nutricibus hæret,
Emulgetq́ue almum materno è corpore ſuccum.
Quod craſſum & pingue eſt calido denſatur in oſſa.
Humida flexibiles gignunt & viſcida neruos.
At quanquam humano ſint candida ſemine cuncta
Tandem materno tinguntur ſanguine membra.

 Hinc

Hinc est quòd roseo ſint multa imbuta colore.
At potius ſpeciem ſunt plurima nacta rotundam.
Nempe hæc amplior eſt, minimū̃q; obnoxia morbis,
Nobiliorq́ue, omni & careat cùm fine, perennem
Eximiè reddit propria ſub imagine formam.
Sunt tamen & aliæ multæ. nam corpus in vſus
Factum eſt multiplices. ſeſe ignis acumine tollit
Surſum, atq; in mediū deſcendit imagine tellus
Quadrata. & reliqua obliquè duo corpora repunt.
Sed ſunt infirmis hæc omnia vincta catenis:
Exceſſusq́; ſuos ſolitus proferre tumultus
Defectusq́;, graues gignunt in corpore luctas:
Sic nūquam hæc ſtabilem poſſunt ſeruare quietem.
Nunc creſcunt & ſunt iuuenili florida vultu,
Decreſcuntq́ue iterum, & facie confecta ſenili,
Currunt ad celerem directo tramite mortem.
Nunquam conſimiles vultus aliiſue ſibiue,
Sed ſe cum multo aſsiduò diſcrimine monſtrant.

Cùm ſemen vtriuſque ſexus in vtero ritè commixtū eſt, & vterus eo conſeruando fouendoq́ue eſt accommodatus, illud animæ vegetatricis vim confeſtim acquirit, quæ veluti domina, formis elementorum tanquam inſtrumentis vtatur. Formæ verò quæuis compoſitorum analogiæ ſimplicium in mixto quandam ſimilitudinem gerunt: nam alioqui nunquam acceſſuræ ſint ad illud, quod cum ipſis nullam affinitatem tenet: at tamen multo quàm materia ſunt perfectiores, ſiquidem eam continuò reddūt magis abſolutam. non eſt igitur neceſſarium in ſemine partes omnes corporis actu contineri: imò fieri nequit, cùm ſemen totum ὁμοιόμερον appareat, & etiam ſi ἀνομοιόμερον ſit, dum profluit & vehementer commiſcetur, neceſſarium eſſet partes diuerſas in

ſas in liquido corpore planè confundi. Vires autem à præcipuis corporis partibus confluere, quas anima vegetatrix comprehendat, probabile videri poteſt, propter dictam à nobis príus cauſam: ſed teſtes materiam, licet ab vniuerſo corpore non trahatur, ita parare poſſunt, vt apta fiat, quæ ſeruiat animæ vegetatricis operationi. Hæc autem analogiam elementorum diſtribuere ſtatim incipit in corporis conformationem, & etiam alimentum ſimile, maternum ſanguinem confertim trahit, quo iuſtum incrementum adipiſcatur, qui quidem in eandem analogiam facilè conuertitur: nam quę liquida ſunt, facilè commiſcentur in vnum. ex ſemine fiũt ſolidę corporis partes, oſſa, ligamenta, nerui & horũ propagines, & ab alimento quod ſemini quàm ſimilimum eſt, ſuum incrementum ſumunt: reliquus verò ſuccus, in cauitatibus corporis, tanquam in vaſis, ad alimoniam & incrementum conſeruatur, vbi ſenſim ſuã maturitatem acquirit. Hic autem ſuccus, quoniam puris elementis compoſita non aluntur, continet quadruplicem materiam, quę cum quatuor elementis ſimilitudinem habet: nam atra bilis cum terra conuenit, pituita cum aqua, ſanguis cum aëre, cum igne verò flaua bilis. Ita quatuor in nobis humores ſunt ſpecie diſtincti, ad ſimilitudinem quatuor elementorum. Verùm quemadmodum terram & aquam aër & ignis vndique permeat, qui vitalem affert mũdo vigorem, id etiam in animantiũ corporibus accidere eſt neceſſe. Prouidè namque factum eſt, vt craſsiora corpora poros quoſdam continerent, per quos ſe inſererent ea quę ſunt tenuiora, quę vt diuinis proxima ſunt, ita proximè concipiũt diuinam & incorpoream virtutẽ: ſic in terra humor eſt, in hoc aër cum calore, quem vndiq; permeat ætheris lucida virtus, quæ quidem eſt animę proximum inſtrumentum. ita cuncta mirificè confluunt in vnum, & tenuia cum craſsis, incorporea cum corporeis conſpirant. Ergo opus etiam animantibus tepido ſpiritu fuit, & eo quidem trifariam diſtincto. Alius per omnia membra diffuſus eſt humidis partibus magis cognatus, & tanquã quidam vapor, quemadmodum hic inferior aër: eum autem naturalem appellant: cui inſertus eſt alius tenuior & purior, qui vitam membris affert, quem cùm admodum neceſſarius ſit, continuo ſubſtituit cordis officina, & per arterias eum diſtribuit in neceſſarios vſus. Tenuiſsimus autem, & tanquam æthereus, animalis eſt, animæ pręcipuum vehiculum, quo in corpore verſatur: & ideo à vertice corporis deſcendit. Ergo tres ſunt præcipuè corporis partes, membra ſolida, humores & ſpiritus, quarũ primæ pòtius conſtituũt corporaturam: nam humores & ſpiritus educuntur, conſumuntur, citra dolorem & facilè reſtaurantur. Solidę verò partes, niſi fortaſsis in pueris non reſtituũtur, & facilè tolli non poſſunt: è ſemine namq; ſunt, ad animæ ſimilitudinẽ cõformatę, quas hu-

manæ corporaturæ forma minimè patitur dissolui. quamuis autem ea membra solida nuncupamus, non negamus in ijs humiditatem ab origine radicitus infixam contineri, necnon spiritus æthereum vigorem, quorum omnium principium in semine fuit. sed in cauitatibus alius altrix succus & spiritus est, qui ex alimentis procreatur, & sensu planè caret: non enim alimentum pars eius quod alitur, sed externum potius quippiam dici debet, cuius affectio non percipiatur, nisi quatenus cum illo fuerit coniuncta. si quis in spiritibus qui cauitatibus continetur sensum esse dicat, quòd hic meatibus obstructis amittatur, respondebo non meatus, qui nulli cernuntur, sed neruos obstrui, per quos à suo principio, membranis cerebri scilicet, sensus descendat: nam reliquæ quoque cerebri partes sensu carent: quemadmodum autem arteriæ principium vitalis motus habent à corde, sic à cerebro principium sentiendi nerui: & quemadmodũ spiritus visiuus in rem conspectam extenditur, per quem color à facie rerum externarum ad oculos transfertur: sic affectio reliquorum neruorum sentientium ad principium suum confestim transit. Ex sensu igitur tãtum de ijs partibus iudicandum est, quæ ab eo principio deriuantur, aut ea proximæ contingunt: itaque nec ossa sentiunt, quæ tamen è semine suam originem ducunt. dicemus igitur præcipuas & proprias humani corporis partes esse, quę ex semine constitutæ sunt, in quibus anima proximè versatur, & hæ quidem soliditatem, humiditatem, & æthereum etiam spiritũ habent, à forma substantiali planè comprehensum. Succos autem & spiritus qui cauitatibus continentur, ad illas fouendas & restaurandas ex alimento prouenire, sine quibus illæ protinus flaccidæ animæque functionibus inutiles fiant. & omnes quidem seminariæ partes vim altricem & vitalem habent, quæ duæ semper vtiles & necessariæ sunt ad animatæ cuiusque partis conseruationem: nam sine altrice confestim marcescat, sine vitali verò, putrescat, & intermoriatur. verùm sentiendi facultas cùm semper necessaria non sit, omnibus membris nõ inest, sed illis demum quæ bono malòue discernendo & illo prosequendo fugiendòue sunt destinatæ: quanquam & harum virtus reliquas fermè partes attingit. ossa verò in medio corporis posita perinde nõ sunt obnoxia sensilium affectionibus, & etiam sequi debent quocunque nerui & musculi voluntatis imperio trahãt: quid quod crassiora sunt, quàm vt affectio possit ab illis ad principium sentiendi transmitti. Propriam enim quælibet pars temperiem habet, suis vsibus à natura destinatam. Ossa potius fiunt ex magis terrena seminis parte, cui pinguedo multa fuerit admixta: ex terrena quidem propter firmitudinem, quæ ne tanquam arena diffluat pinguedine sit contẽperata, & quidẽ ad duritiẽ cũ partibus terreis à calore percocta: hac enim consumpta videmus in cariem

riem ossa dissolui: quod ne facilè fiat, reliquias prioris pinguedinis in cauitatibus suis habent, quam nos medullam appellamus. Nerui cum partibus terrenis continēt humiditatem magis viscosam, & eadem est fermè venarum & membranarum natura: hæ nempe partes extendi, nec tamen distrahi debebant. Verùm nō est nūc opportunum vt omnium naturam particulatim tradamus: spero nobis breui datum occasionem iri, qua humani corporis constitutionem & quicquid illi vel secundi vel aduersi contingere solet, cum proprijs signis, causis, & remedijs, non è medicina tantum acceptis, sed ex intima philosophia repetitis, diligentissimè tradamus. præter temperiem elementorū ὁμοιόμερα membra suam quoque conformationem habent, quam particularum positio secum affert: quæ namque vergunt æquabiliter in omnem positionem sphæricam efficiunt figuram, & teretem quæ ab altera quidem parte omnem ęquabiliter, sed ab altera positionem tantùm vnam obseruant. Vt si circuli circulis imponantur, ipsi quidem singuli æquabilitatem omnis suæ positionis habent: sed singuli cum singulis comparati sursum vel deorsum, hoc est in vnam positionem rectà vergūt. sphærica verò figura maximè, post hanc autem tereti potius delectatur natura: quod rotundum amplissimum sit, minimum iniurijs obnoxium, accommodatissimum ad motum, denique perfectissimum, cùm scilicet perfectissimo proximum sit, qui principium finemque non habet: itaque videmus omnia fermè vel rotundam vel teretem esse formam adsecuta. Mundus vniuersus eiusque præcipuæ partes, fructus plerique, multæ partes animantium sphæricam compositionem habent: radices, trūci, rami, ossa, nerui, venæ, tereti sunt figura. Nec mirum quòd hæc inferiora ex rotundo rectóque consistent: nam elementa ex quibus componuntur, rectè vel obliquè mouentur, efficiens autem causa cælestis in sphæram. Cùm autem singula suam elementorum temperiem suosque cæli circuitus contineant, hinc prouenit omnis varietas conformationis: sed hæc omnia sunt alterius loci magis opportuni. Membrorum ὁμοιομερῶν cōfigurationem, humores & spiritus consequuntur, qui nimirum, cùm molles sint, durioribus libenter cedant, & contenti sint ijs locis, quæ membra solida cauitatibus suis concesserunt: quanquam interdum augeri vel diminui solent vehementius, quàm oportet: quod etiam membris solidioribus accidit. ita triplex fermè morbus est, quantitatis, qualitatis, & configurationis: sed hic posterior potius ad organica membra pertinet: quæ ex ὁμοιομερέσι constant, in certas configurationes coniunctis & suis vsibus destinatis. Vnitatis autem solutio ad positionem pertinere potest, siquidem diuulsæ partes eum quem oportebat situm non seruant: verùm eam potius ad substantiam refero, quæ præcipuè sit in formę mo-

nade

nade atque continuatione. Sunt autem continua quorum quæcunque sumpseris extrema sunt prorsus vnum: quod quidem naturæ non artis est opus, quæ nimirum in minimis versatur: ars autem tantũ in maioribus, & ideo potius contigua quàm continua facit. Reliqua verò quæ incidere solent in corporaturam humanam medici symptomata vocauerunt, vt actionum noxas, vt excremẽta varijs modis affecta, vt sensibiles qualitates, quę exterius in corpore apparent, vnde signorum & causarum ordine facilè deueniamus in cognitionem cõseruationem atque restaurationem corporis humani. Verùm quoniam de generatione constitutioneq; corporis humani iam quędam diximus, quomodo, quamuis adhibeatur summa cura, necessariò degeneret, quemadmodũ est apud Platonem, dicamus. His autẽ verbis obscurissimis, describit rationẽ procreationis & degenerationis liberorum, in republica sua Plato. Difficilè quidem moueri potest hoc pacto ciuitas constituta: sed quoniam quicquid factum est, obnoxiũ est corruptioni, ne hæc quidem cõstitutio per omne manebit tempus, sed dissoluetur: hęc est autem dissolutio. non tantum plantis terræ inhęrentibus, sed & animantibus quæ versantur super terram, excessus & defectus tam animæ quàm corporum contingit, cùm conuersiones reuolutionis cuiusque circuli confecerint, illis qui breuis vitæ sunt breues ambitus, contrarijs contrarios. Genus autem vestrum generositatem & defectum nihilo magis ratione cum sensu & experimentis adsequentur illi, quos ad gubernationem vrbium instituistis, quanquam sint sapientes: sed hæc res præteribit etiam ipsos, & filios interdum gignent inopportunè: eius autem quod diuinitus genitum est periodus numero continetur perfecto. Humanitus verò genito periodus, continetur numero, in quo imprimis incrementa, quæ quidem superant & superãtur, interualla tria. quatuor autem terminos adepta, eorum quæ similitudinem & dissimilitudinem, incrementum & decrementum pariunt, sic ordine cuncta inter se comparabilia reddiderunt, vt epitrita radix pempadi coniuncta, terque aucta, duas harmonias exhibeat. vnam quidem æqualiter æquabilem centies, alteram verò paris longitudinis, & vt ob longioris etiam quisque numerus sit ex comparabilibus diametris pempadũ, vno deficientibus singulis, & duo sint quæ comparari nequeũt, centum autem sint quadrantalia triadis: sic vniuersus numerus geometricus, author est huius, tam meliorum, quàm deteriorum procreationis. Hoc pacto Musa de causis melioris & deterioris procreationis liberorum disserit, cuius oratio quidem mira quadam difficultate videtur inuoluta, tamen cùm vir illa sapientissimus nihil temere scripserit, & hic ipsam deam introducat doctissimam loquentem, necessarium est, aliquid cognitu dignũ his ipsis verbis nobis significari, & potissimum,

vt mihi

vt mihi videtur, ratio qua cæli virtus harum rerum vicissitudines in
procreationem & interitum rerum gubernat: nam cùm ea quæ conti-
nuo fiunt corpora semper ex alijs, per continuum ordinem procreen-
tur, nemini dubium esse potest, quin inde quodque trahat similitudi-
nem, vnde suam originem ducit: originem autem suam filij non tan-
tum parentibus, sed & initijs suæ genituræ referunt acceptam. quoniã
enim natura comparatũ est, vt ad proprium suũ locum omnia prom-
ptè ferantur, in quo libenter etiam quiescant, necessariũ est, perpetuum
harum rerum omnium motum, ab eo præcipuè perfici, quod cùm in
circulum sponte moueatur, nunquam eo motu locum suum amittit.
Vices itaque rerum corporatarum, motu situque cælestium corpo-
rũ peraguntur: vnde fit vt hæc varietas rerum potissimum cæli consi-
deratione cognoscenda sit: vt qui ex nostris animis causarũ cælestium
notitiam adimunt, nos omnes in summa quadam ignoratione versari
fateantur: sed aliter omnino iudicant, qui vt reliquis prudẽtiores sunt,
ita propius ad veritatem ipsam accedũt. Hi nimirum existimant, quod
etiam euidens ratio probat, à superioribus inferiora semper gubernari:
effecta verò, sine causis, nunquam bene cognosci posse: cùm autem hęc
omnia continenter impellantur motibus siderum, motus etiam & ef-
fectus procreationis, oportet vt habeat aliquam supernam causam, quę
quidem huic causæ proximæ magno quodam necessitudinis vinculo
sit coniuncta. Cùm autem causæ quędam inferiores sint, aliæ verò pręc-
cipuæque sint illæ superiores, si terrenæ consentiant cum æthereis tem-
pore procreationis, filij parentibus suis similes erunt: quod quidẽ Pla-
to numeris quibusdam propositis ostendit: quoniam ijs vt omnia, ita
hæc pręcipuè cõstare putãtur. monas, ταυτότητος & formę, δυὰς ἑτερότητος
materiæque principium est: illa numeri imparis, hæc autem numeri pa-
ris: & hæc fœminam in procreatione refert, illa verò marem. propter
δυάδα numerus quicunque potest æquabiliter secari, propter mona-
dem verò non potest: sed tamen etiam diuisa propter monadẽ suas rur-
sus analogias seruant. itaq; per numeros impares, potius ordo contexi-
tur omnium rerum. Hinc est quòd imparibus numeris ordine congre-
gatis, tetragoni fiunt, ex quibus etiam quadrantalia confici possunt.
Monas enim cum triade primum tetragonum reddit, huic iũcta pem-
pas, secundum: cui si heptas addatur, tertius tetragonus fiet. Ita miro
quodam ordine progressio numerorum constat: vel potius ex ratione
numerorum contexitur cogitatorum & rerum omnium ordo. Pul-
chrè peritèque Græci rationem numerorum, rationem animæ, &
orationem eodem nomine significant, quoniam res pares, pari-
bus quoque vocabulis sint appellandæ. Id etiam in his numeris aptè
quadrat, quod in impari serie tetragoni geometrica progressione inue-

niuntur. Tertius enim (nimirum tetractys) tetragonus est, & decimus sextus, qui quintus in ordine geometrico, & etiam sexagesimus quartus, hic enim septimus in eo ordine est: idque fit deinceps per immensa numerorum incrementa. in analogia triplici, tertius etiam tetragonus est, nempe nouem & octuaginta vnũ, qui quintus est in ordine, idque similiter in reliquis omnibus numeris contingit. Ex imparibus etiam continuo coniũctis, quadrãtalia fiunt: ex triade & pempade fit ogdoas. Septem, nouem, & vndecim pariunt viginti septem: tredecim autem quindecim, septemdecim & nouemdecim producunt sexaginta quatuor: sed viginti vnum, viginti tria, viginti quinque, viginti septem et viginti nouẽ, proferunt centum & viginti quinque, & ita deinceps, vt ad compositionem ordine sequentis quadrantalis, congeries imparium vno impari superet, congeriem antecedentis. Ita quadrantal primum monadem tantum habet. secundum ogdoas est, quod duos impares sequentes, triadem & pempadem continet. Tertium verò tres numeros sequentes: & quemadmodum ex imparibus numeris procreantur impares, ex paribus pares, ex ambobus mixti: sic ex tetragonis tetragoni nascũtur, & ex cubis etiam cubi. Mixti verò dici possunt quos ἑτερομήκεις, & προμήκεις vocant: illos quorum latera monade tantum differunt, vt bis tria, hos cum alio numero, vt bis quatuor, distant: & ex his omnibus sunt omnes differentię numerorum, quæ sunt etiam pulcherrima quadam analogia comprehensæ: vt inter tetragonos, altera parte longiores suas etiam habeant rationes: sic inter vnum & quatuor est duo, altera parte longius, in ratione duplici: sex est inter quatuor & nouem, & sescuplam rationem facit. ea mira series omnium rerum est, qua diuersa suis tamen rationibus sunt connexa: nam qui (tanquam hominum plus satis curiosorum inuentum) numeros, ad naturam rerum non pertinere putant, si non intelligunt, nec quicquam in hanc lucem rationis & mentis bene formatæ educi posse, nisi ex ipsis naturæ visceribus eruatur, nec quicquam in lucem communem expositũ esse posse vitale, nisi ab ipsa natura & veritate alatur, & sustentatur, si id inquam, non intelligũt, nihil fermè intelligere videtur: sed vt nos redeamus ad ea, quorum hæc gratia diximus, ex numero impari atq; pari tanquam ex mare & fœmina gignitur pulcherrimè omnis differẽtia numerorũ. quo verò parentes suis temporibus filios sibi similes gignant, oportet eos etiam analogia quadam inter se conuenire. In omni verò analogia numeri quidam superant, quidam autem superantur: nisi perfecta sit æqualitas, quæ quidem in hac natura nostra locũ non habet. Quidam etiam numeri similitudinis effectores sunt, per monadem & æquabilitatẽ, quidam dissimilitudinis, propter dyadem & inęquabilitatem: sed æquabilitatem cœlestia obtinent. Hæc verò cum suis analogijs obtinẽt

inæqua-

inęquabilitatem. monas & æquabilitas auget, atq; ue conſtruit. dyas & inæquabilitas diuidit, adeoq; ue comminuit, atque corrumpit: ſed tamen propter analogiam ſuam in ſua ſe tempora cuncta tuentur. Analogiæ ſeriem μεσότητα vocant, & eam vel continuam vel diuiſam: illa tribus, hæc quatuor numeris cōſtat. inter cæteros numeros, trias & tetractys magnam authoritatem tenēt, & inter ſe faciunt epitritam analogiam. Trias autem eſt diuinis negotijs accommodata. Continet enim principium, medium, & finem, & ideo circulum, formam, & abſolutionem rerum ſignificat. tetras autem corporatæ potius fermè diuiſionem: ſic enim videmus elementa, tempora, ætates, humores, & partes rerum omnium, non ſine myſterio ſecari. Omnia nempe vel ſunt tantum, vel etiam viuunt, ſentiunt, & intelligunt. Quod ſi triadem & tetradē vtramq; bifariam in ſe reuoluamus, quo corporatæ fiāt, exorientur duo quadrantalia, nimirū viginti ſeptē & ſexaginta quatuor, inter quæ quemadmodum & inter quadrantalia proxima omnia, duo media continuatæ analogiæ collocantur: ſed perfectiſsima cenſetur illa μεσότης, quæ tres in ſe cōtinet μεσότητας, & his numeris ſex, octo, nouem, duodecim cōſtat: nā ſex, nouē, duodecim, præbēt mediū arithmeticū: ſex, octo, duodecim harmonicum: at ſex, octo, nouē et duodecim geometricum, quanquam diuiſum. atque hi numeri ex epitrita ratione generantur. octo, & duodecim, ex tetrade, ſex, & nouem, ex triade. Medius autem alter quadrantal eſt, alter tetragonus. Extremi verò ſunt ἑτερομήκεις, ſic omnia commixta ſunt in rerum natura, mutuiſq; numerorum rationibus continentur: quas qui negligunt, non tantum pulcherrimarum rerum ignari ſunt, ſed parum à belluis diſtant, quæ quidem differunt ab hominibus ſcientia numerorum. ſed in tetragonis & quadrantalibus ταυτοτὴς eſt. vocamus autem quadrantalia, quæ κύβους Græci nuncupant. In altera parte longioribus eſt potius ἑτεροτὴς. Illa nempe ſiunt ex ductu numerorum in ſe: hi verò ex ductu numerorum in alios. Atqui quod in ſe ducitur, ſuam naturam ſeruare videtur: ſed omnes figuræ rectæ circulo, qui nimirum inter ſiguras omnes ampliſſimus eſt, ſunt comprehenſæ. Circulus autem numerorum decas eſt: quoniam omnium gentium conſenſu, qui ex ipſa proculdubio natura rerum profectus eſt, nec contemni à ſanæ mentis hominibus debet, videmus initium alterius ſupputationis à decade ſumi. Itaque decumana fermè maxima ſunt, vt oua, fluctus, aliaque plurima, & decem ſphęræ præcipuè mundi ſunt: octo cæleſtes, duæ elementorum. Aqua enim terraque vnius locum tenent: vt etiam aëris ſphæra & ignis. quid quod decas ex monade, dyade, triade, & tetrade componitur, quæ in ſe bis ſingulæ ductæ, quo corpora fiant, procreabunt vnum, octo, viginti ſeptem, ſexaginta quatuor: & hi numeri continent etiam quendam cir-

cuitum rationum, quod quidem magnæ cuiusdam est perfectionis. Inter sexaginta quatuor, quadraginta octo, triginta sex, viginti septem, sunt tres epitritæ. Inter viginti septem, decem & octo, duodecim, octo, sunt tres sescuplæ. Inter octo, quatuor, duo, & vnum sunt tres duplices: ita tres ordines sunt, & quilibet ternario numero consistit, & postremum est epitrita radix complexa. Et ex his omnibus analogijs omnes musicorum fermè symphoniæ fiunt: quemadmodum autem ex vno, duobus, tribus & quatuor decas fit: ita ex vno, octo, viginti septē, & sexaginta quatuor hecatostys. Decas etiam in se veluti reuoluta, centenum, & hic circumductus in sese, decies millenum tanquam sphærā facit. Hinc est quòd Plato velit cubos & tetragonos, præsertim triadis, in procreationem liberorum potius centeno mensurari, quo tota constitutio perfecta fiat. Veteres etiam Apollinem, vitalis caloris & fœcunditatis authorem, ἑκατὸν appellabant, & Neptuno, qui materiam fœcūditatis & vitæ ministraret, ἑκατόμβας immolabant. trias autem perfecta circulum proxima refert, & circulum Lunæ continet, in se bis ducta, quo cuncta potius hęc inferiora gubernantur. Numerus autem qui decies mille continet, perfectus etiam est, & significat solidam sphæram. Itaq; decas est circulus hecatostys tanquam epipedon, decies autem millenus numerus, rotūdum corpus: quod quidem cælo mundoq́ue pulcherrimè quadrat. vult etiam ter augeri radicem epitritam Plato, in longitudinem, latitudinem, & profunditatem, vt perueniat ad perfectam corporaturam: & quoniam semper aliquid esse diximus in cælo, quod parētibus respondeat, opus est etiam duplici quadam analogia, cælesti atque terrena, quæ quidem pempadi coniungantur: quoniam hæc est nuptijs dicata: propter numerum imparem atque parem, triadem & dyadem, hunc fœminam illum autem marem: sed pempas decadem, tāquam diametrus, per medium partitur: quoniam si diuidamus decadem in nouem, & vnum, in octo & duo, in septem & tria, in sex & quatuor, in quinque & quinque, semper pempas medium locum tenet: quemadmodum autem pempas nuptias, ita eas hectas etiam partium similitudine significat: continet enim tres dyadas, duas triadas, sex monadas. Itaque pempas & hectas perficiunt circulos rerum. quinquies quinque, parit viginti quinque, sexies sex triginta sex. ita continenter his numeris multiplicatis, idem est initium atque finis, quemadmodum etiam per procreationem filiorum, relinquitur imago quædam parentum: sed hectas potius conuenit perfectis, incorporatis atque diuinis. Exactè siquidem ex omnibus suis partibus, monade, dyade, & triade constat. partes voco, quæ repetitę totius mensuram implent. Pempas autem corporatis, his humanis, quadrat: itaque quinque rerum omnium genera sunt, elementa, atque figuræ, quæ tamen

men omnes circulis sint comprehensæ. vt circulus & quadrantal, illæ cælo, hoc verò terræ proprius, tanquam duo quædam extrema sint, quorum quidem analogia cum suis diametris cognosci nequit. Circulus autem extremus totius cæli constat spacio viginti & quatuor horarum, quas sola monade circulus pempadis exuperet: est etiam oblongior hic numerus ex senario nimirũ quater repetito. Circulus infimus Lunæ, constat spacio viginti septem dierum, & octo horarum, & illum numerum trias, hunc dyas in sese bis reuoluta profert. Centum etiam dies centies, viginti septem fermè conficiunt annos. Centum quadrantalia triadis efficiunt duo millia septingenta, quæ per duodecim diuisa menses, ducenti viginti quinque fiunt anni. si verò minimus numerus epitritæ rationis & pempadem, inter quos binę sunt analogiæ, triplicemus, idem fermè numerus prouenit, nimirum 216. qui numerus etiam ex corporato senario non sine mysterio procreatur. Et etiam si analogiam inter. 5. &. 3. &. 4. atque. 3. triplicemus ac numeros numeris coniungamus. His autem numeris fermè circuitus imperiorum mensurantur. Tres autem præcipui circuitus cælestes sunt primi mobilis, Solis & Lunæ, quibus etiam reliqui circuitus tempus addere vel detrahere solent: sed harum rerum explicationes aliud institutum requirunt. De his igitur numeris iam satis multa diximus. Constat autem opportunitatem, vt in alijs rebus om̃nibus, ita & in procreationibus liberorum, vel maximum afferre pondus: quam ob id etiam Pythagoras rerum omnium matrem appellasse videtur. Opportunitas autem motu situque siderum potissimum prouenit. Omnes enim res habent sua tempora, horas, dies, menses, & annos, quibus vel fieri, vel non fieri melíúsue vel deterius possint: sed quoniam infima Luna, vim superiorum omnium concipit, & eam in hæc inferiora transmittit, & quia motus etiam omnem regit humoris, ideo meritò in hoc negocio principatum tenet: nam & purgatis menstruis, stato tempore fœminę concipere, suisque Lunæ circulis partum in lucem edere solent. Itaque Luna Lucina dicta est à poëtis quòd ipsa parientibus auxilium ferat: quemadmodum autem in instrumentis automatis ordine quodam à principio fit motus ad exitum: ita res quæque vim quandam ab origine sua concipit, qua suis interuallis in finem vsque decurrat: maximè verò crescũt, diutissimeque se tuẽtur, quæ quàm optimè sunt ab initio contemperata: cùm numeri quàm minimum superant, atque superantur, cùm quàm maximam æquabilitatem seruant: itaq; magni refert, qualem intus ab initio quis nactus sit compositionem, & qualia sint exteriora, quæ dissimilitudine semper deterunt internas vires: nam si tam interna quàm externa, prorsus essent ἰσοκρατῆ, nulla nimirum causa mutationem vllam vnquam afferret. Aër perpetua temperie temporum

inæquabilem viciſsitudinem excluderet: nec corpus bene contemperatum quicquam alienum & noxium admittere poſſet: nunc autem quoniam alij numeri ſuperant, alij ſuperantur: hinc intemperies, quæ ſi vel momento ſit perſeueratura, ſuam iuſtam analogiam requirat: ſed ignis quia cum terra non hîc optimè coniunctus eſt, continenter è corpore ſurſum expirat, ſecumque ſpiritũ magis ſibi cognatum, & tenuem pariter ſuccum educit. At cùm quippiam in corpore deficit, euidenter aut abundat, animus, quoniam inſtrumentis corporis adiũctus eſt, & quoniam libenter cum corpore integrè munere ſuo fungitur, quando diſcraſia difficultatem operationum affert, ipſe appetentiam contrarij confeſtim profert. Ita temperies aliqua noſtri corporis in ſua tempora ſeruatur. ſtomachus enim appetentiæ potiſsima officina, in medio corporis poſitus, & cũ reliquis partibus, maximè cerebro, corde, epate, nimirum membris præcipuis coniunctus, exceſſum & defectum omniũ fermè ſentiens, omnibus proſpicit, & ab eo primùm epar, deinde & reliquæ partes accipiunt in ſuos quælibet vſus. Omnes enim in vnum conſpirant, & ad vniuerſi conſeruationem altera ſubſeruit alteri. quod ſi appetentia propter variam corporis intemperiem quãdoque fallatur, eſt præſtò ratio, quæ ex diuerſis corporis affectibus ſentiat, & imperet quid potiſsimum ſit, ad incolumitatem totius corporis, faciendum. & hinc ſuam authoritatem obtinuit, apud homines bene formatos, medicina. Ita quanquam varijs caſibus obnoxij ſimus, interdum tamẽ in aliquot annos incolumitatem noſtram tuemur: ſed tandem ob multam intemperiem omnia neceſſariò langueſcunt: quoniam ſemper alij numeri ſuperant, & alij ſuperantur: & quia ſemper perfectius aliquid expetunt: nec ſunt vnquam omnibus ſuis numeris abſoluta, inde continua prouenit rerum omnium viciſsitudo: creſcunt, decreſcunt, nunc hanc, nunc rurſus aliam quandam ſimilitudinem gerunt. ætherea verò multo perfectiora ſunt, & quanquã nec ipſa ſemper eandem nobiſcũ poſitionẽ habẽt, quoniam cauſę rerum inferiorum ſunt, eo quidem hæc inferiora ſemper, ſed naturam ſuam nunquam mutant. propter varium itaque defectum & exceſſum, & imperfectam elementorum contemperationem, neceſſarium eſt, vt hæc ad interitum omnia vergant: ſed ſuæ ſimilitudinis continua procreatione quodammodo conſeruãt etiã corporibus immortalitatẽ. Ea verò ſemper ſe (quemadmodum iam ſæpe diximus) tuentur quàm diutiſsimè corpora, quæ ſunt ab exordio quàm optimè contemperata: in quibus numeri quàm minimum vel ſuperant, vel ſuperantur, ſed cum perfectis illis æthereis quàm proximam ſimilitudinem tenent: cùm parentes & præſtantiſsimam naturæ conſtitutionem obtinent, & cum efficaciſsimis cauſis cæleſtibus, & inter ſe quoque quàm arctiſsimè pulcherrimeq; conueniunt

ueniunt in abſolutiſsimam quandam imaginis ſuæ conformationem. Si verò vel minus præſtantes cauſæ ſint, vel inter ſeſe, cumq́ue cauſis cæleſtibus minus bene quadrent, neceſſarium eſt, vel vt languida ſint & obnoxia varijs morbis effecta, vel vt illarum etiam planè ſteriles & infœcundæ ſint omnes operationes. Itaque hæc etiam à legiſlatoribus diligenter animaduertenda cenſet Plato. nam tametſi totius naturæ ſingularumq́ue rerum motus omnis feratur cum circuitu cæli, tamen voluntas ſapientiaq́ue humana, corporatæ naturæ ſuperior, plurimum poteſt ad res omnes melius inſtituendas: niſi verò quis intelligat rerũ propoſitarum naturam, nõ video quomodo poſsit in ijs præclarè verſari: nam ſine ratione neceſſarium eſt omnes actiones noſtras temeritatis eſſe plenas. Ratio verò rerum naturam inquirit, atque demonſtrat, qua non cognita, non eſt quòd aliquid homini dignum expectemus. Cùm autẽ in vniuerſum duo ſint in omnibus actionibus noſtris conſideranda, natura nimirum, quæ neceſſarias, & voluntas quæ liberas cauſas habet, ambæ fermè ſemper coniunguntur in ijs negocijs ex quibus laudem aut vituperium commeremur. oportet igitur vtramque bene perſpectam eſſe, præſertim ijs hominibus, qui publicam curam gerũt. Perinde verò facere videntur illi, qui citra rerum naturalium cognitionem, de ciuilibus rectè iudicare volunt, ac illi qui vna parte litigantium audita, de tota cauſa temerè decernunt: qui ſi diuerſas intellexiſſent rationes, longè aliter fortaſſe iudicaſſent. Motum volũtatis interdum natura ſequitur, ſæpe verò voluntas naturam, nunc hæc, nunc illa ſuperiorem poteſtatem tenet. Tenet quidem nunc iſta, nũc illa ſuperiorem poteſtatem: ſed tamen vtriuſque vires coniunguntur in vnum, nec de cõpoſito rectè ſentire poſſumus, niſi ſimpliciũ vires fuerint antea perſpectæ: nec etiam ſimpliciũ vires ſingulæ ſine omnibus poſſunt vnquam bene cognoſci: quoniam ad effecta quantum contulerint ſingulæ, ſine conſideratione reliquarũ ignoramus. ex effectis autem cauſas, & ex his illa quoq; indagamus: ita qui ciuium actionibus pręſunt, quæ partim natura, partim voluntate fiunt, & magis quidem natura quàm voluntate, ſine cognitione rerum naturalium, in denſis tenebris verſantur, nec officio ſuo rectè fungi poſſunt: & hanc quidem negligentiam ego tantorum malorum cauſam eſſe puto, quãta nulla oratio ſatis explicare queat: quoniam ſine principijs quæ conſequuntur ex ijs rectè cõſtitui nullo modo poſſunt: verùm hæc ego latius & opportunius alibi me ſpero demonſtraturũ, & luce clariores multarum rerum cauſas facturum, quæ cognitæ plurimum valeant in omnem partem. Certè qui naturæ cognitionem negligunt, tam inepti ſunt, vt ab illis nihil omnino boni poſsit vnquam expectari. Ii verò ſi publicam perſonã gerunt: eſſe quoque ſolent maximi rerum publicarum euerſores: tum

quòd

quòd rerum gerendarum præcipuas rationes ignorant, tum etiã quòd oporteat esse perditissimos animos, qui principia cognoscendi contemnunt: quemadmodũ omnes rationes, omnia experimenta manifestum reddunt omnibus, qui vel tantillum cernunt: & ideo vult sapientissimus philosophus, magistratus bene constitutæ Reip. in cognoscendis etiam occultis naturæ causis esse diligentissimè versatos, quarum notitia cùm perquàm necessaria sit, est tamen difficilis, vt etiam vel optima ingenia vincat: vnde fiat vt Resp. nõ possint semper in optimo statu conseruari. Hanc igitur ignorationẽ naturæ præcipuã infelicitatis communis causam esse putat. Cùm autem Reip. salus in ciuium animis sit, & hi fermè corporaturam suam sequantur, quæ ferè cum nascendi principijs consentit, oportet vt hæc minimè negligãtur, & vt quę consequuntur in melius continuò formentur, cumque corporatura bene formata voluntates præmijs & pœnis propositis instituantur ad præclarissimas actiones: nam necesse est vt altera cũ altera præclarè conueniat, si quicquam in rebus humanis præclari velimus expectare: sed de his omnibus, quæ proculdubio sunt vtilissima latissimeque patent, differere, non est huius instituti: satis est nobis quod hîc tantum breuiter indicauerimus locũ Platonis de procreatione liberorum, qui proculdubio res difficillimas & maximas continet, si esset à nobis satis intellectus.

Finis Libri Tertij.

Index eorum quæ præcipua ſunt IN HOC LIBRO.

per

Iuſtitię

Motus

Præ-

 Septeni

FINIS.

Hoc modo corrigenda ſunt errata.

Pag.12.linea 14.lege nil pro nihil.
Pag.14.lin. 21.lege in æthere
Pag.15.lin.20 lege intellectus veri
Pag.27.lin.24.lege vi quadam
Pag.31.lin.19.lege iacuiſſe veterno
Pag.38 lin.31 lege haberet
Pag.43 lin.17 lege cæterasq;,quas
Pag.43 lin. 25 lege & continuo
Pag.45 lin.34 lege etiam cæleſtia
Pag.47 lin.38 lege quas
Pag.48 lin.22 lege craſſitie
Pag.60 lin.22 lege quàm
Pag.60 lin.25 lege in aquam
Pag.63 lin.9 lege ὀπτικῶς
Pag.65 lin.5 lege quemq; non
Pag.72 lin.4 lege errabundo
Pag.77 lin.21 lege vaga pene
Pag.79 li.3 le. Minus duplici tertia
Pag.84 lin.22 lege vaga blando
Pag.87 lin.1 lege generoſa
Pag.91 lin.7 lege cadunt
Pag.91 lin.18 lege calore
Pag.91 lin.30 vt delendum eſt
Pag.95.lin.39 lege morbi
Pag.104 lin.7 lege bilancem
Pag.104 lin.19 lege Arthemidis
Pag.105 lin.5 lege ſæpe & ventos
Pag.106 lin.2 lege Borei
Pag.108 lin.1 lege ſemita lacte
Pag.108 lin.19 lege Bellerophon
Pag.113 lin.8 lege numeri
Pag.132 lin.35 lege quas ſol
Pag.133 lin.40 lege K.M.
Pag.141 lin.9 lege quàm vt
Pag.144 li.16 leg. oppreſſa veterno
Pag.145 lin.14 lege technas
Pag.156 lin. 4 lege continua
Pag.157 lin.8 lege Pierides
Pag.157 lin.11 lege feruebat
Pag.161 lin.39 lege tanquã æternus
Pag.163 lin.13 lege candens
Pag.170 lin.22 lege immotã hîc
Pag.171 lin.11 lege decorum
Pag.172 lin.6 lege aqua ſit
Pag.174 lin.9 lege tingitq;
Pag. 175 lin.3 lege induerit
Pag.182 lin.10 lege morti dedit
Pag.183 lin.20 lege corollis
Pag.204 lin.39 lege σημειωτικὴν
Pag.208 lin.25 lege proponant
Pag.209 lin.35 lege alterius cõtinui
Pag.216 lin.27 lege tria in
Pag.218 lin.31 lege ſuſtentetur
Pag.220 lin.16 lege proximè.

F I N I S.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm